per l'Ill.mo Avv. Villa.

DATIANA HISTORIA

ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS

AB ANNO CHRISTI LI. AD CCCIV.

AD FIDEM MSS. ET EDITOR.

RECENSUIT ET DISSERTATIONIBUS NOTISQUE ILLUSTRAVIT

ALOYSIUS BIRAGUS

SEMINARII MAJORIS PRESBYTER.




MEDIOLANI

TYPIS ERMENEGILDI BESOZZI

IN OFFIC. BONIARDI-POGLIANI

MDCCCXLVIII.


LIBRARY OF
THE UNIVERSITY
OF ILLINOIS
FROM THE LIBRARY OF
CONTE ANTONIO CAVAGNA
SANGIULIANI DI GUALDANA
LAZELADA DI BEREGUARDO
PURCHASED 1921

Ex dono

Auctoris Clarissimi

XVII. Id. Febr. MDCCCXLIX

C. P. Hill

DATIANA HISTORIA

ECCLESIÆ MEDIOLANENSIS

AB ANNO CHRISTI LI. AD CCCIV.

VEL

ANONYMI MEDIOLANENSIS

QUI CIRCA ANNUM DXXXVI. SCRIBEBAT

AD S. DATIUM EPISCOPUM

LIBER

DE PRIMIS EPISCOPIS MEDIOLANI

OLIM *DE SITU CIVITATIS MEDIOLANI* NUNCUPATUS

AD FIDEM MSS. ET EDITOR.

RECENSUIT ET DISSERTATIONIBUS NOTISQUE ILLUSTRAVIT

ALOYSIUS BIRAGUS

SEMINARII MAJORIS PRESBYTER.

MEDIOLANI

EX TYPOGRAPHIA BONIARDO-POLIANEA

MDCCCXLVIII.

BARTHOLOMÆO CAROLO ROMILLIO

VIRO NOBILISSIMO

INGENIO PIETATE ZELO POLLENTI

QUA DIE

PONTIFICATUM MAJOREM MEDIOLANENSIUM

UNO OMNIUM ORDINUM PLAUSU

FAUSTE FELICITER INIT

ALOYSIUS BIRAGUS

PRESBYTER SEMINARIENSIS

DATIANAM HISTORIAM

DE PRIMIS EPISCOPIS MEDIOLANENSIBUS

EXPOLITAM ILLUSTRATAM

DAT DEDICAT

PASTORI DESIDERATISSIMO.

NONIS SEPT. MDCCCXLVII.

PRAEFATIO

Cum Mediolanensis Ecclesia sive origine apostolica, sive metropolitici gradus eminentia, sive martyrum et episcoporum sanctitate, sive rituum praestantia, aliisque peculiaribus laudibus, inter clarissimas Italiae jure meritoque recenseatur; tum optandum esset, tam nobilis Ecclesiae ampliores memorias et Patrum nostrorum scripta copiosiora ad nos usque pervenisse. Neque dubium esse potest quin multa scripserint veteres illi mediolanenses, cum satis constet, hanc Ecclesiam saeculis quarto, quinto, et sexto ineunte fuisse theologiae magisterium et veluti episcoporum doctorumque seminarium: adeo ut Ecclesiae vel remotissimae saepe ad hanc se converterint sive pro impetrandis clericis scientia sacra imbutis, sive ut haberent, quo inniterentur, judicium in dubiis casibus et disputationibus. Verum, proh dolor! antiqua illa scripta fere omnia periere. Nam si excipias sancti Ambrosii Episcopi libros, quorum etiam pars magna amissa est, vix paucula quaedam ex tam divite penu ad nos usque pervenerunt. Bella enim, barbarorum irruptiones, vastitates, incendia, urbium et monasteriorum direptiones pretiosis illis monumentis detrimento fuerunt et destructioni.

Ex tot ruinis tamen incolume evasit Opusculum quod sive res consideres de quibus agit, sive dotes Auctoris quas praesefert, sive aetatem qua scriptum putandum est, maximo in pretio habendum esse judico. Titulum Libro quidam fecerunt: De Situ Civitatis Mediolani: *incongruum plane, utpote qui non est nisi argumentum capitis primi: Landulphus Senior saeculi XI historicus eumdem appellat* Annales, et Descriptionem situs Mediolani, *tum* nostros Annales (1): *Beroldus et Arnulphus eodem saeculo* Historias Civitatis Mediolanensis (2) *vocant. Ast potiori jure appellari debet* Vitae primorum Mediolanensium Episcoporum, *vel* Historia Ecclesiae mediolanensis a s. Barnaba Apostolo usque ad mortem s. Materni, sive ad annum Christi CCCIV. *Reliquum Historiae, quam usque ad sua tempora continuatam Auctor pollicitus fuerat, aut non scripsit, aut temporis injuriae perdiderunt.*

(1) Hist. Mediol. L. II, c. 2 et c. 15.

(2) *Beroldus,* Catalog. Episcopor. Mediol.; *Arnulphus,* Hist Mediol. L. V, c. 10.

Habes hîc in luce positam et non mediocri fide suffultam Historiam Mediolanensis Ecclesiae tria priora saecula complexam: scilicet adventum s. Barnabae Apostoli, continentem episcoporum successionem, eorumque praecipuas res praeclare gestas, primas basilicas christiano nomine conditas, coemeteria, sanctorumque depositiones, tyrannorum saevitias et invictam martyrum nostrorum fortitudinem, orthodoxae doctrinae traditionem, ritusque sacros, et salutaria fidei beneficia latius in dies per has regiones diffusa: quibus omnibus nihil potius cuique Fideli, nihil civi antiquius esse potest. Ego itaque rem utilem et jocundam, mediolanensibus maxime, facturum me arbitratus sum, si librum ex codicibus sive mss. sive editis diligenter conquisitis et inspectis ediderim.

Nec rerum praestantia quidquam imminuitur ex Auctoris persona. Primum enim non privato suo studio vel judicio ad ista scribenda animum adjecit, sed auctoritate et jussis Episcopi sui, Mediolanensis Antistitis: amplitudinis vestrae o beatissime Praesul, religiosissimo jussu sollicitor, *inquit ille in Procemio,* ut de... Metropolitanae sedis Antistitibus Libellum cudere debeam. *Cur vero illi haec provincia ab Episcopo commissa est? Eô quod* his studiis *et Ecclesiasticarum rerum cognitione polleret: quod ille humiliter expressit dicens:* etiamsi aliqua forte ex eorum studiis praelibaveram. *Equidem fuisse eum doctrina et eruditione praestantem, cuique legenti facile patebit. Nam graece linguae sciens frequenter etymologias explicat et graeca vocabula interserit: latinos vero optimos quosque scriptores familiarissimos habet. In re autem Ecclesiastica siquid erat fide dignum, gravitate commendabile, re opportunum id omne prae oculis habuisse liquet: quod quidem continentibus notis demonstrabitur. Demum in eo doctrina certabat cum diligentia et modestia. Ubique enim se veritatis sedulum sectatorem prodit: adeoque humiliter, verecunde, religiose res narrat ut omnem sibi fidem conciliet. Fatendum quidem est, eum fortasse plusquam oportet rhetorem agere et verba quandoque supereffluentia congerere: attamen scriptor est latinitate non ineleganti usus, testis satis probatus historiae et traditionum quae de Ecclesia Mediolanensi suo tempore circumferebantur, et optimus chronologiae assertor.*

Itaque nil mirum si Mediolanenses plena fiducia hunc Librum exceperint et tanti fecerint ut eo in ipsismet divinis uterentur Liturgiae officiis. Ejusdem apographa integra servabat Basilica Metropolitana, servabat Ambrosiana: excerptas vero ex illo vitas s. Caii et s. Materni Naboriana publice in istorum solemnibus natalitiis legebat, ut et Calimeriana eam

s. Calimerii. Eumdem Librum prae manibus habuerunt Galvaneus Flamma, saec. XIV., inter cujus codices ab ipso descriptos recensetur: Liber Descriptionis Mediolani: *et ante Galvaneum Guiffredus a Bussero auctor saeculi XIII. in Opere* De Ecclesiis et Altaribus urbis et dioecesis Mediol. cum vitis sanctorum; *qui duo fere ipsa verba Datianae hujus Historiae passim usurparunt. His addere juvat Andream Alciatum J. C. et praeclari nominis historicum, qui in* Historia Patria *frequenter illius auctoritati innititur. Imo jam a saeculo XI. et antea Laudulphus Senior, Beroldus, aliique hunc Auctorem scribendis rebus patriis ducem secuti sunt.*

Utinam Auctor, sin nomen suum, quod ignoratum humiliter voluit, saltem aetatem qua vixit, prodidisset. Verum neque ipse hanc posteris notam fecit, et nomen Episcopi sui, ex quo aetas illa innotuisset, nobis temporis edacitas vel amanuensium incuria abstulit; uti videre est pagina 2. *nota* 3. *Interim in re incerta, cum Muratorius Librum hunc typis primus edidisset in Op.* Scriptores Rer. Italic. *T. I. P. II., eumdem saeculo decimo, aut ad summum nono attribuit: quo judicio fere omnem libri auctoritatem evertit. At vero nimis festinanter et inconsiderate sententiam hanc protulit vir caeteroquin omni laude celebrandus: nam nihili pensitavit argumenta quae longe majorem antiquitatem Auctori asserunt, et nimii aestimavit hanc vel illam notulam quae recentiorem indicare librum ei videbatur. De hujus tamen judicii sui aequitate et ipse subdubitare visus est; nam dixit:* Adolescens ista descripsi.

Operae igitur pretium erit proferre haec argumenta antiquitatis: ex quibus demum constabit, Auctorem scripsisse saeculo VI., circa annum 536., *jubente Episcopo s. Datio, et jure huic libro titulum a me apponi:* Datiana Historia Ecclesiae Mediolanensis. *Eas vero difficultates quas Muratorius contra hanc antiquitatem innuit potius quam objicit, postea exponam, nulliusque momenti esse, cuique, ut spero, persuasum faciam. Haec omnia in prima Dissertatione praestantur: cui ad complementum adjeci alteram de Chronologia hujus Historiae Dissertationem, et tertiam de Adventu s. Barnabae Apostoli.*

Textum Auctoris diligentissime contuli cum mss. et editis. Facem praetulit MSS. Codex Ambrosianus venerandae antiquitatis, scilicet saeculi IX. vel VIII. signatus C. 133.; *deinde MSS. Codex Ambros. integer et elegans Michaelis Pizzolpassi, signatus H.* 56.: *de quibus mox in Disert. I. erit sermo. MSS. fragmenta prae manibus habui ex Codice Metropolitano Guiffredi a Bussero saec. XIII., tum ex Ambrosiano signato* D. 26. P. inf.

quod ad saeculum XIV. pertinet. Inter edita usus sum Bonino Mombritio anno 1479. *typis impresso; saepe autem Muratorio, qui certe ex alio Codice, eôque minus perfecto quam Ambrosiano C.* 133., *editionem suam curandam sumpsit: licet in sua Praefatione hunc eumdem publicare se declaret: quod in processu operis patebit. In Proœmio autem juvit me Editio Opp. s. Ambrosii. Mediol.* 1491. *quae hujus Doctoris inter Sermones Proœmium hocce recensuit.*

Textui subjeci continentes notas quae vel indicia antiquitatis Auctoris, vel ejus consonantiam cum optimis historicis, vel mediolanenses antiquitates illustrarent. Neque inopportunum ratus sum addere figuris expressas praecipuas mediolanensium antiquitatum ecclesiasticarum reliquias et chartam topographicam: ut nihil a me desiderari possit quod nostrae vel Ecclesiae vel Urbis glorias in lucem proferret. Demum Appendicem adjeci a morte s. Materni ubi desinit Auctor, usque ad Ordinationem s. Ambrosii, ubi incipit Paulinus Diaconus: qua in Appendice gesta s. Miroclis, s. Eustorgii, s. Protasii, s. Dionysii ex Patribus, Conciliis et Catalogis antiquis protuli, omissis sequioris aetatis Chronicis.

Laborem hunc, qualiscumque ille sit, offero civibus meis, clero maxime, ut singularem Dei pro Urbe et Ecclesia nostra providentiam et Episcoporum martyrumque nostrorum fidem, constantiam, virtutem omnigenam contemplati, ad optima accendantur.

DISSERTATIO I.

DE ÆTATE AUCTORIS.

DEMONSTRATUR AUCTOREM SCRIPSISSE SÆCULO VI., ANNO 536. HORTANTE S. DATIO EPISCOPO MEDIOLANI, CUI LIBRUM INSCRIPSIT.

INTRODUCTIO.

Extat hujus operis MSS. Codex pergamenus antiquissimus in Bibliotheca Ambrosiana signatus C. 133.: in cujus pagina prima inscriptum est de Codicis aetate judicium hoc: *Codex venerandus ob antiquitatem octingentorum annorum.* Hoc vero judicium inscriptum fuit circa annum 1660. teste Daniele Papebrochio *Acta SS.* 25. Maii, in s. Dionysii Vitae Prologo. Itaque Codex iste exaratus fuit saeculo IX. et fortasse VIII. Re quidem vera si characteres inspicias (exhibeo eorum specimen pagina 1.) et praecipue litteras majusculas, titulos minio suffusos, caeteraque longobardicae scripturae signa, illa aetas valde tibi probabitur. Hic tamen Codex non est nisi apographum alterius vetustioris codicis, uti ex variantibus et ex correctonibus patet.

De ejusdem Codicis antiquitate habemus judicium etiam saeculi XV., prolatum a docto viro Michaele Pizzolpasso qui illum reperit latentem in Bibliotheca Basilicae s. Ambrosii, jam tum *veternosum* et *tineatum.* Hoc discimus ex Epistola quam ad Archiepiscopum Mediolanensem Franciscum Pizzolpassum patruum suum dedit anno 1438.

Michael Pizolpassus Revdmo in Xto Patri atque Colmo Domino suo, Domino vere sancto Francisco Pizolpasso Bononiensi, Dei gratia et sua suffragante integritate, Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopo benemerito salutem sempiternam optat.

Educasti me, Pater optime, a teneris unguiculis ... Ausi, nec improbe reor, ad tuam integritatem dirigere opuscula quaedam, ni fallor, (licet muta sit pagina auctorem non continens) a beato Severo Sulpitio, viro quidem eloquentissimo, in laudem urbis Ecclesiae tuae Mediolanensis edita; subjciente continuo post eas laudes (quae verae et magnae sunt, ut constat) Vitas nonnullorum sanctorum praecessorum tuorum usque ad vitam Materni inclusive. Sumpsit enim initium is author a Barnaba Xti Apostolo hujus inclytae urbis archiepiscopo. Quae opuscula cum legissem in veternosis codicibus qui apud bibliothecam illustrissimi Pontificis Ambrosii patroni tui, pulverulenti et tineati jacebant, ita accensis fui, ut eorum transcripto carere non potuerim; et eo studiosius transcribi studui, quo illam tuam venerandam solertiam complexus peravide lecturam fore: ubi maxime liquido constabit, inter caetera, beatum Barnabam ipsi tuae Ecclesiae primum fuisse patronum ... Caeterum vitas beatorum Miroclis et Protasii archiepiscoporum... nequivi, omni diligentia adhibita reperire... Praeterea cum non incongruum mihi visum fuit, subjci feci, cum praememoratis vitis, vitas beatorum Diony-

sii [1], *Eustorgii* [2], *et Ambrosii* [3] *excerptas ex libris diversis ut tua dignitas gaudio compleretur devotiori ... Ex Mediol. VI. Nonas Julii anni* 1438.

Jam vero judicio Michaelis Pizzolpassi Codex iste saeculo XV. jam *veternosus* erat id est antiquissimus. Qui Pizzolpassus non solum ex inspectione pergameni hujus Codicis Auctorem Libri antiquissimum judicavit: sed magis ex inspectione rerum et indolis scriptoris; quo factum est ut librum putarit editum saeculo V. et ab ipso *beato Severo Sulpitio*, qui praeclaram sacrae et profanae historiae laudem consecutus est.

Quid quod illustriori quam Sulpicio et vetustiori auctori opusculi istius pars a viris non ineruditis tributa fuit? Nempe ipsimet Episcopo et Doctori Ambrosio Editores qui Opera s. Ambrosii anno 1491. cuderunt, totum caput primum hujus Libelli adjudicarunt sub titulo Sermonis *de Ædificatione Mediolani:* in calce autem Operum: *gloriosi et irrefragabilis Ecclesiae catholicae Doctoris et Reverendissimi Mediolani Archiepiscopi sancti Ambrosii De Epistolis, De Vocatione omnium Gentium, De Ædificatione urbis Mediolani Opera feliciter impressa in inclyta civitate Mediolani per Antonium Zarotum parmensem an. Domini MCCCCLXXXXI. in calendis februarii.*

Ego quidem fateor neque Ambrosium neque Sulpicium Severum hujus operis auctores fuisse: sed tamen istorum judicia qui saeculo XV. floruerunt, eò nos adducunt ut pro antiquissimo illud opus habeatur; eò magis quod Michael Pizzolpassus testetur se illud in codicibus *veternosis* et *tineatis* reperisse, id est vetustissimis.

At vero suppetunt nobis testimonia et judicia saeculo XI. prolata, quae magnam Agiographo nostro vetustatem adstruunt. Beroldus mediolanensis clericus qui, saeculo XI. exeunte, scribebat Catalogum Episcoporum Mediolanensium quem ex Bibliotheca Metropolitani Capituli edidit Muratorius [4], ita de hoc Opusculo loquitur. *Legitur enim in antiquissimis historiis quae hodie habentur in civitate mediolanensi quod ipse beatus Barnabas de romana civitate ad urbem Mediolani transtulit se, etc.* His Beroldus evidenter innuit Agiographi nostri historiam, quam *antiquissimam* jam tunc appellabat.

Benedictus autem Archiepiscopus Mediolanensis, ea oratione quam in Synodo Romana anno 688. recitasse perhibetur pro tuendis metropoliticae suae sedis juribus, ait: *Uti in annoso libro de Situ descriptionis ejusdem* (urbis Mediolanensis) *comperi....* Hoc modo legitur apud Muratorium T. I. *Anecdotor. Latinor.:* in Codice autem Landulphi Senioris antiquissimo, olim Metropolitanae Bibliotecae, nunc Ambrosianae, signato H. 89. P. inf. L. II, cap. 15 legitur: *ut in Descriptione situs ejusdem comperi annosa....* Qua tota oratione Benedictus passim verba et testimonia Datianae hujus historiae in medium profert. Verum quidem est, multos hujus orationis auctorem judicare Landulphum ipsum, qui

1 *Dionysii* Vita de qua hic loquitur, judicio Papebrochii *Acta SS.* 25. *Maii* fuit concinnata saec. XI. ex alia vetustiore.

2 *Eustorgii* Vita, scripta circa saec. XI., nullius momenti est.

3 *Ambrosii* Vita ea est quam scripsit Paulinus Diaconus.

4 Script. Rer. Italic. T. I. Parte 2. pag. 228.: vide de hoc Catalogo judicium Oltrocchi in calce *Hist. Mediol. Ligusticae.*

circa annum 1070. scribebat. At vero Muratorius qui eam suis in Anecdotis publici juris fecit, opinabatur illam *ante Landulphum exstitisse.* Nam *stylus,* ait, *a consueto Landulphi stylo nonnihil dissidere videtur;* historiae autem Landulphi inserta est ista oratio tamquam documentum historicum, nullo nexu cum historia ipsa. Verumtamen fatendum est, post saeculum octavum nonnulla illi orationi adsuta fuisse, desumpta ex falsis Decretalibus Isidorianis. Quidni tamen Oratio a Benedicto scripta fuerit et postea additamentis aucta? Ita fit ut pro certo nihil statui possit de orationis illius epocha, nisi quod medio XI. saeculo jam in vulgus prodierat.

Itaque certo constat Librum Agiographi nostri, medio saeculo XI., habitum fuisse tamquam *annosum,* tamquam *antiquissimum.* Quod si ita est, nemo sanus existimabit illum saeculo X. in lucem primum prodiisse: at neque saeculo IX. Quis enim *antiquissimam* historiam, *annosum* librum appellaverit qui uno ante aut altero saeculo prodierit? Superest igitur ut ad superiora saecula ascendamus: nempe ad octavum vel septimum vel sextum.

Non enim ante sextum crediderim illum librum fuisse exaratum: quippe Auctor loquitur de aetate s. Materni exeunte saeculo tertio florentis, tamquam de tempore satis remoto. En ejus verba: *nunc ad reliqua ejus* (Materni) *gesta vertatur articulus, quae adeo sunt multis ignota, ut longi temporis alluvione omnium poene memoriae abolita putentur.* Item loquitur de urbe Ticino *quae altero vocabulo Papia dicitur:* quod quidem nomen non nisi post reaedificationem urbis a Gothis eversae anno 476., usurpatum fuisse, apud omnes Ticinensis historiae peritos constat. Denique memorat Vitas Pontificum Romanorum a Papa Damaso scriptas flagitante s. Hieronymo: quae quidem notitia (vera an falsa sit) creditur primum in vulgus prolata anno 530. [1]

Sed neque post saeculum sextum aetas illius libri signanda est; ita enim sentiunt gravissimi auctores, nempe Joannes Petrus Puricellus Doctor Mediolanensis omni eruditione praesertim patria clarissimus [2], tum Saxius Ambrosianae Bibliothecae Praefectus [3], tum Papebrochius [4]. Utinam isti rationum momenta protulissent quibus in hanc sententiam adducti fuerunt.

Restat igitur ut ego hanc provinciam mihi suscipiam; et ex visceribus rei, ut aiunt, argumenta depromam quibus liquido constet quo tempore Agiographus scripserit. Ego itaque pensitabo omnia aetatis illius judicia: statum urbis quem nobis exhibet; episcoporum mediolanensium qui ante illum floruerunt, notas, quas perhibet; indolem literaturae quam praesefert; geographiam, historiam, phrases liturgicas, chronologiae rationem, et alia hujusmodi; quibus, spero, patebit eumdem saeculo VI. scripsisse.

Immo ea suppetunt argumenta quibus evidenter demonstrabitur, illum anno 536. suam historiam elucubrasse, eamque s. Datio episcopo mediolanensi dicasse, quo auctore et hortatore, scribendam susceperat.

1 Franc. Bianchini Praefat. in Vitas Pontif. n. 15. et n. 9.

2 In Nazariana C. 4.

3 Series Archiepp. Mediolan.

4 In Exegesi de Archiepp. Mediolani ante T. VI. Mai *Acta SS.*, et alibi.

Caput I.

Ex Libro Pontificali *quem Auctor a s. Damaso, hortante s. Hieronymo, confectum dicit, argumentum deducitur, Historiam Datianam scriptam fuisse paulo post annum* 530.

Auctoris aetas commode ex ipsa qua scribere jussus est, occasione conjicitur. Prodierant nuper in lucem Vitae Pontificum Romanorum sub nomine Damasi Papae, unâ cum duabus Epistolis praefationis vicem gerentibus, alterâ quidem s. Hieronymi hortantis Damasum ut *Acta a Pontificibus gesta per ordinem enarrare dignetur,* alterâ vero s. Damasi respondentis: *Gesta Pontificum quae potuimus reperire in nostrae sedis studio, ad tuam charitatem gaudentes direximus.* Exemplum et gloria Ecclesiae Romanae accendit Episcopum Mediolanensem desiderio colligendi Antistitum quoque Mediolanensium gesta, memoriasque. Is itaque Auctorem hoc onus suscipere *jussit et sollicitavit ut de Viris Apostolicis et omni laude dignissimis Sedis Metropolitanae Italorum Antistitibus ab exordio quo christianitatis nomen hoc loci satum est, Libellum cuderet.*

Hanc vero fuisse occasionem ex eo conjicitur et demonstratur quod Auctor causans imperitiam suam respondet: *Fecit quidem hujuscemodi textum* (scilc. libellum) *de episcopali Urbis Romanae Catalogo Papa Damasus, hortante ac flagitante Hieronymo, qualem ipse pridem de Viris Illustribus naviter ediderat. Verum sicut nos temporis sejungit disparilitas, sic quoque mea et illorum longe dissimilis habetur conditio. Illi enim ... At ego ... qua temeritate post ingentia flumina Hieronymi et Damasi, velim siccos cursus extendere?* Nempe cum in omnium manus venerint modo Vitae Romanorum Pontificum scriptae a Damaso, hortante Hieronymo, eaeque plausu eodem ac Liber Hieronymi de Viris Illustribus exceptae sint, temeritatis notam incurrerem si et ego modo velim similem cursum currere; cum inter illos et me ea intercedat meriti distantia quae inter fluvium aquis redundantem, rivulumque siccum.

Jam modo inquirendum est, quandonam *textus ille de episcopali urbis Romanae catalogo confectus a Damaso, hortante et flagitante Hieronymo,* in lucem prodierit; scilicet quandonam sub nomine Damasi, et cum duabus illis Epistolis, Vitae Pontificum publicatae fuerint. Quo in loco scire expedit, Vitas illas primum editas fuisse saeculo IV., circa tempus s. Damasi, ducto catalogo a s. Petro ad Liberium, easque brevissimas fuisse ac fere nihil aliud exhibuisse quam annos ordinationis, sedis, et depositionis Pontificum; neque quidquam praetulisse quod Damasum auctorem earum aut Hieronymum hortatorem significaret. Deinde saeculo VI., imperante Iustiniano, Consulibus Lampadio et Oreste, Felice Papa annum extremum agente, vel mortuo, scilicet anno 530. iterum prodiere illae Vitae, sed conquisitis notitiis multo ampliores: quae res satis luce donata est a Schelestrate et a Blanchino [1]. Haec secunda editio protulit in

[1] Vide Emmanuelis a Schelestrate Praefecti Bibl. Vatic. *De antiquis Romanor. Pontiff. Catalogis Dissertationem* cap. IV.: tum Franciscum Blanchinum Veronensem *Praefat. in Vitas Pontiff. Romanor.* n. 9. et 15.

fronte duas illas Epistolas Hieronymi et Damasi, sive authenticae eae sint [1] et ex tenebris tunc erutae, sive ab aliquo deceptore tunc confictae et suppositae.

Prodiisse tunc temporis eas Epistolas, hoc demonstratur argumento quod Codices fere omnes iique antiquissimi, continentes hanc secundam Vitarum editionem, Epistolas illas praeseferunt. Primus omnium in medium veniat celeberrimus Ambrosianus Codex MSS. *M.* 77. in 4. scriptus circa annum 752.: ecce tibi duas illas Epistolas, stilo eodem descriptas ac Vitae sequentes. Lambecius L. 2. *Commentarior. de Biblioth. Caesarea Vindobonensi*, citat *volumen membranaceum, pervetustum, magnique pretii et alios quatuor Codices MSS. Caesareae Vindobonensis Bibliothecae, in quibus Historiae de Vitis Pontif. Rom. illae Epistolae praefixae sunt; sicut etiam in aliarum illustrium Bibliothecarum Codicibus* quibusdam MSS. Cum Lambecio consonant Blanchinus n. 9, et Schelestrate cap. IV. adserentes, duos vetustissimos codices, scilicet Parisiensem Colbertinae Bibliothecae et Romanum Reginae Sveciae pertinere ad tempus Caroli M., eosque sicut et caeteros Vaticanos codices hujus Libri Pontificalis, praeferre illas Epistolas.

Quid igitur definiunt eruditissimi hi duo critici? Nempe, istos *codices habuisse originem ex autographo conscripto sub Iustiniano Imp. post mortem Felicis IV.* scilc. circa annum 530. Nec aliter res se habere posset. Quomodo enim tot Codices saeculo VIII. potuerint ornari his Epistolis, nisi eas descriptas exhibuisset primus ille Codex qui in lucem prodiit anno 530., ex quo codices caeteri exscripti et derivati sunt? Porro inde factum est ut Liber Pontificalis in pluribus MSS. antiquis appellaretur *Pontificalis Damasi*, vel ut in antiquissimo nostro Ambrosiano, *Damasi Papae Acta Summor. Pontif. Romanor. a beato Petro usque ad praedictum Damasum.*

Itaque, ut ad nos revertamur, cum anno 530. Vitae hae Pontificum Romanorum prodierint, unâque Epistolae Hieronymi et Damasi; cumque inde occasionem arripuerit Episcopus Mediolanensis ut vitas antecessorum suorum scribere Anonymum nostrum juberet, patet, Auctorem non multo post annum 530. Libellum suum vulgavisse.

Atque is erat tunc temporis historias et catalogos hujusmodi colligendi amor et studium. Itaque s. Ennodius Diaconus Mediolanensis paucos ante annos carmine celebraverat Vitas quatuordecim Episcoporum Mediolanensium a s. Dionysio usque ad viventem Laurentium. Item prima pars antiqui Catalogi Episcoporum Mediolanensium desinit in Datio et Vitali: quod argumento est, circa haec tempora [2] illam quoque confectam fuisse. Omitto brevitatis causa ex aliis Ecclesiis exempla praeferre.

Caput II.

Ex statu urbis quem Auctor nobis exhibet deducitur, scripsisse illum ante annum 539.

Sed neque post annum 539. Nam Auctor talem nobis pingit urbem Mediolanum, eaque de ejus moeniis et pro-

1 Authentiam tuetur Ciampinus Romanus in *Examine Libri Pontificalis*.

2 Papebroch. in Exeg. ante VI. T. Maii, Mabillon, Puricellius.

spero statu congerit, ut evidens sit, illum ante funestissimum a Gothis anno 539. urbi nostrae inlatum excidium scripsisse. Hanc enim fuisse suo tempore perhibet qualis revera sub Romanis Imperatoribus florebat opibus, magnificentia, securitate. Illam esse *florentissimam affinium urbium*, illam *magnificentissimo opere constructam: raro eidem marinas copias, raro diversorum stagnorum dapes affluentissimas deesse potuisse*: agros vero *summa satis opulentia largos proferre fruges et vina et omnium rerum ubertatem* [1]: moenibus autem et propugnaculis ab Imperatore Maximiano Herculeo conditis adhuc suo tempore munitam esse: *Maximianeis nunc usque constat munita propugnaculis* [2]: eam denique *post inclytam Romam* dignitate et gloria inter Italicas primam et *antiquae Romae cognatam esse* [3].

Talis quidem haec urbs steterat usque ad annum 539. Nam etsi anno 452. irruens Attila cum Hunnis Mediolanum direptioni militibus tradidisset; attamen, fugientibus civibus, *ab igne et ferro abstinuit* [4], et vix aliquâ Ecclesiâ, domoque incensâ, praedâ onustus abiit. Itaque saeculo VI. ineunte, ut refert s. Datius Episcopus apud Procopium illius temporis et loci [5] testem, Mediolanum erat, *post Romam, princeps urbium occidentalium amplitudine, frequentiâ, et alia quavis felicitate: πρὼτη πόλεων των ἑσπερίων, μετά γε Ρόμην, μεγέθει τε καὶ πολυανθροπία, καὶ τη ἄλλη εὐδαιμονία, ἐτύγχανεν ὄυσα*: et ut apud eumdem [6] refert Paulus Legatus Mediol. *urbibus omnibus Italicis Mediolanum valde praeeminens, et adversus Germanos caeterosque barbaros propugnaculum, universo, ut ita dicam, Imperio Romano praestructum. Μεδιολανος γὰρ ἤδε, πόλεων των ἐν Ιταλία πασῶν παρα πολὺ πρῦχουσα, πρός τε Γερμανοὺς καὶ τοὺς ἄλλους βαρβάρους ἐπιτείχισμα τε ὄυσα, καὶ πάσης (ὡς εἰπεῖν) προβεβλημένη της Ρωμαίων ἀρχῆς.*

At vero eo anno 539. Mediolanum *fu diroccata e ridotta ad un mucchio di pietre*, inquit Muratorius [7], neque amplius per quinque saecula reviviscere visa est. Tantam ei cladem attulerunt Gothi qui sub Vitige rege et Uraïa duce, vastatis late agris, civibusque longa obsidione, fame, inedia enectis, demum deditam *urbem ad solum prostraverunt, τὴν πόλιν ἐς ἔδαφος καθεῖλον, virosque omnes, sine discrimine, non minus quam trecenta millia occiderunt, οὐχ ἧσσον ἢ μυριάδας τριάκοντα, foeminas vero in servitutem redactas Burgundionibus donarunt praestitum auxilium remunerantes* [8]. Eadem narrat Continuator Chronici Marcellini Comitis: *Flav. Appione Coss. Gothi Mediolanum ingressi muros diruunt, praedaque potiti omnes Romanos interficiunt.*

Post quam cladem rex Theudebertus cum centum millibus Francis superveniens siquid adhuc ex Gothorum vastatione reliquum fuerat, id omne destruxit et erasit [9]. Inde fames et pestilentia et caeterae hujusmodi calamitates, quae tam graves fuerunt ut Oltrocchius, diligenter investigata hac historica periodo [10],

1 Capite I.
2 Cap. XXVII.
3 Cap. I. et XXVII.
4 Hist. Miscella Lib. XV. ex optimo Codice Ambr.
5 Procopius De Bello Gothico L. 2. c. 7.
6 Ibid. c. 21.
7 Annali d'Italia.
8 Procop. loco cit. c. 21. in fine.
9 Procop. ib. c. 25. et Marius Aventicensis in Chron.
10 Mediolan. Hist. Ligust. L. II. c. VI. n. 9.

non dubitaverit asserere: *nulla, per haec tempora, erat civitas Mediolanensis: omnia squallebant vastae instar solitudinis.* Clariss. autem Comes Verrius [1] plurimis argumentis demonstrat, urbem hanc nostram sine moeniis jacuisse, ruinis et squalore deformem, usque dum Anspertus Archiepiscopus saeculo IX.

MOENIA SOLLICITVS COMMISSAE REDDIDIT VRBI DIRVTA . . . . [2]

Haribertus autem Archiepiscopus saeculo XI. eam restauravit et splendori restituit. Quae itaque moenia et propugnacula a Maximiano condita fuerunt, ea anno 539. a Gothis funditus eversa sunt.

Atque ut res luculentior appareat, exhibeo typos propugnaculorum sive Maximiani sive Ansperti: illa ab Gothis anno 539., ista ab Ænobarbo Friderico anno 1162 solo aequata.

Propugnacula

Maximiani [3]



Ansperti [4]



En tibi in prima tabula vetera Maximiani propugnacula, turribus quadratis munita, quarum reliquia fere usque ad haec nostra tempora videbatur turris quadrata prope veterem portam romanam ad locum *s. Vittorello:* in tabula altera propugnacula ab Ansperto condita qualia ex ruderibus et ex historicis collegit Gratiolius.

Itaque cum Auctor tot et tanta de prospero Mediolani statu congerat; cumque asserat: urbs *Maximianeis propugnaculis usque nunc munita constat,* consequitur scripsisse illum ante eorum destructionem urbisque excidium, scilc. ante annum 539.

Caput III.

Cum Auctor asserat Episcopos Mediolanenses omnes in Sanctorum *numero esse, consequitur eum scripsisse non post s. Datium.*

Aetas hactenus statuta confirmatur argumento inde deducto quod Auctor asserat, omnes Mediolanenses Episcopos in Sanctorum numerum esse relatos. Sibi enim propositum esse declarat, *De Antistitibus* Mediolanensis sedis *Libellum* cudere, *ab exordio quo christianitatis nomen hoc loci satum est, usque ad id temporis in quo per vestram praesentiam, gratia Dei propitiata resplenduit:* tum vero, *ab ipso Anatalonis tempore usque ad haec quae in praesenti decurrunt saecula, stili hujus cursum dirigam.*

Jam vero cunctos hos Episcopos testatur fuisse *viros apostolicos et omni laude dignissimos;* immo in sanctorum numero censos, cultu et invocatione honoratos: *illorum continuo expostulo interventus quorum devotione scribendum mandastis;* quare *consultius fuerat talia* (gesta sanctissima) *mirari quam loqui:* verumtamen, quoniam scribo *vestro nutu non fastu, mihi, spero* (illi sancti), *concedent veniam.*

1 Storia di Milano.

2 Ex Ansperti Epitaphio in Basilica Ambrosiana.

3 Ex pallio argenteo quod in parte postica Altaris s. Ambrosii visitur, confecto saec. IX.: ubi repraesentatur s. Ambrosius urbem ingrediens praefecturam gesturus.

4 Ex Gratiolio *De antiquis Ædif. Med. ante cladem Ænobarbi:* visuntur moenia et turres rotundae ab Ansperto conditae, tum antiqua turris Romana quadrata.

Atqui a s. Barnaba ad s. Datium omnes Mediolani episcopi et vivi sanctitatis laude enituerunt, et mortui sanctorum cultu decorati sunt. Nam si excipias Theodorum et Laurentium I. qui obierunt ille anno 490., iste 512., caeteros quidem jam a saeculo V. vel VI. Ecclesia Ambrosiana universa vel constituto festo die, vel altaribus memoriisque, vel invocatione in Litaniis tamquam coelites coluit et venerata est. Theodorum autem s. Ennodius Episcopus Papiensis appellat *Domnum Theodorum, virtutum omnium Episcopum, virtutum cumulum, bonum et sapientem*, Catalogi veteres *Sancti* titulo insigniunt; Ecclesia autem Laurentiana officio et solemni die qui est XVII. Julii, ab immemorabili honorat [1]. Laurentium quoque sanctitatis fama celebrem nobis perhibent antiqua documenta, eumque pariter Sanctorum cultu Ecclesia Laurentiana semper decoravit VIII. Kal. Augusti.

At vero cum s. Datio series illa Sanctorum defecit, interruptaque est. Diceres, miserandum illud urbis excidium ecclesiasticis etiam virtutibus cladem attulisse. Etenim s. Datio Constantinopoli vita defuncto anno 552. succedit Vitalis nulla laude nobilis: cujus nec nomen ullo in catalogo *sancti* titulo gaudet, neque ipsa *Depositionis* dies notatur, quod quidem fere idem est ac expunctio ex dipthycis. Probabile est enim Vitalem clero mediolanensi auctorem fuisse non recipiendae damnationi *Trium Capitulorum* a Papa Vigilio factae; unde ortum schisma mediolanense contra Ecclesiam Romanam Pontificemque Pelagium [2].

Vitalem sequitur Episcopus cujus nomen oblivioni damnatum est. Fuit enim superbus et contra canones auctoritatemque ecclesiasticam contumax et rebellis, adeo ut Pelagius II. de eo scripserit ad Narsetem militiae praefectum, in provincia veneta degentem: *a vobis poposcimus et iterum postulamus, ut illum Mediolanensem Episcopum ad clementissimum principem* (Iustinianum Imp.) *sub custodia dirigatis, ut canonum vindictae subjaceat.... si forte (sicut de talibus scriptum est, peccator cum in profundum venerit, contemnit) ita obstinatus et contumax extiterit ut doceri non velit, secundum canones per saeculares comprimatur* [3].

Sanctitas reviviscere visa erat in s. Auxano unius anni episcopo et in s. Honorato qui duobus annis sedit. At vero Honorato successit Fronto episcopus omnibus sceleribus perditus: *cui* (post XI. annos sedis) *condigna poena pro meritis respondente ipsum terra absorbuit sicut Dathan et Abiron, nec corpus ejus ultra visum vel repertum catholicam sepulturam recepit* [4]. Deinde cathedram coepit Laurentius II. quem quamvis bonum, s. Gregorius M. non multi facere visus est. Nam presbyterum Mediolanensem Magnum ab excommunicatione a Laurentio inflicta absolvit, *quod Laurentius, nullis culpis extantibus, te communione privaverit* [5], neque quidquam subjicit in laudem vel excusationem Laurentii. Item in Epistola ad Constantium successorem Laurentii s. Gregorius scribit: *si autem Laurentius fecit* (contra damnationem trium Capitulorum)

1 Consulendus Puricellus in *Nazariana*.
2 Papebr. in Tract. Praelim. de Episcopis Mediol. in Actis SS. ante T. VI. Maii.
3 Epist. V. ad Narsetem Patric.
4 Ita Catalogus antiquiss. Metropolit.: et ita Tabulae Galesinii.
5 S. Greg. M. Epist. ad Magnum Mediolanensem Presbyterum.

cum universali Ecclesia non fuit et cautionis suae (juratae) *sacramenta transcendit.* Laurentio succedunt Constantius defunctus anno 600., Deodatus, Asterius, Fortis nullo cultu ecclesiastico decorati.

Auctor itaque sub Datio scribebat, quando Episcopi Mediolanenses, continuata serie, sanctitatis merito et honore omnes floruerant.

Caput IV.

Ex geographicis notionibus quas praesefert Auctor, consequitur eum scripsisse initio saeculi VI.

Mediolanenses episcopos Auctor appellat *Antistites Sedis metropolitanae Italorum.* Quid hoc *Italorum?* Nempe quia Mediolanum ut in re civili sic in ecclesiastica erat metropolis Districtus seu Vicariatus cui nomen *Italia.* Etenim saeculo IV. Italia divisa est duos in Vicariatus; unus quidem sub nomine *Romae,* quippequi Romam caput habebat, sub ditione sua sexdecim habebat inferas provincias: alter vero *Italiae,* cujus caput Mediolanum, sub jure suo habebat septem superas provincias, scilicet Liguriam, Æmiliam, Flaminiam, Picenum Annonarium, Venetiam cum Histria, Alpes Cottias, Rhaetiam utramque [1]. Hac partitione Ecclesia quoque usa est: Roma, Mediolanum constitutae altera quidem metropolis Romae, altera metropolis Italiae. At vero non diu Ecclesia Mediolanensis tam lata ditione metropolitica, tantaque tituli amplitudine gavisa est. Nam saeculo VI. Gothi, et praecipue Longobardi (anno 568. Italiam ingressi) rerum potiti omnes imperii Romani provincias, partitionesque earum sus deque verterunt: Pontifices vero Venetiam cum Histria, Æmiliam, Flaminiam, Picenum novis constitutis metropolibus, mediolanensi episcopo eodem saeculo VI. ademerunt. Quo factum est ut urbs nostra saeculo VI. desinente, non metropolis Italorum sed tantum *metropolis mediolanensis* appellaretur.

His adde vocabulum *Liguria* quo ab Auctore provincia nostra appellitatur, et quo re vera appellari consueverat usque ad Longobardorum regnum. En tibi Notitiam X., ibi legitur: *Liguria in qua est Mediolanum.* En Notitiam Codicis Thuani: *In provincia Liguriensi civitates viginti: civitas Mediolanum metropolis.* At vero Oltrocchus diligentissimus harum rerum inquisitor in *Eccles. Mediol. Hist. Ligustic.* pag. 519. asserit: *Exinde* (ab anno 643. quo Rex Longobardorum Rotharis leges suas publicavit) *mihi videor certissime affirmare, Venetiam, Liguriam et magnam Æmiliae partem in unum Longobardiae titulum coaluisse:* ita ut Liguriae nomen in hac provincia *penitus obliteratum fuerit octavo saeculo inclinante.* Auctor tamen adhuc utitur hoc nomine, provinciamque nostram *Liguriam* appellat scribens: *Liguria praefata ab Abdua fluvio... protensa est, continens in sinu suo Mediolanum.*

Itaque Auctor saeculo VI. scripsisse putandus est, quando et *Liguriae* nomen huic provinciae nostrae adhuc inerat, et Mediolanum *Italorum metropolis* adhuc appellabatur.

Adde notitias geographicas quas nobis tradit de insula Cypri. Ait enim: *Est*

[1] *Notitiae Provinciar. Imperii,* scriptae saeculo V. *Anon. Med.*

autem Cyprus insula Pamphiliae provinciae, in mari asiatico sita, habens quindecim pulcherrima oppida, muris serrisque munitissima, quorum metropolis Paphus insignis plurimum, famosaque divitiis, metalli maxime aenei, etc. Jam vero habes hic indicia omnia saeculi VI. Nam hoc saeculo Pamphilia ab Imp. Justiniano [1] consularis facta est, eique subiecta Cyprus florens adhuc commercio et gloria: sequenti autem saeculo VII. Cyprus a Saracenis, Mavio duce capta [2] et vastata est, et usque ad saeculum X. sub eorum barbaro jugo jacuit sine splendore, sine *pulchritudine*, sine artibus, donec Nicephorus Phocas anno 965. eam ab Saracenis vindicavit et graeco imperio restituit.

Caput V.

Indoles literaturae quam Auctor praesefert, indicat eum scripsisse ante medium saeculum VI.

Si unquam nostra urbs antiquitus literis, studiis, scholis, grammaticis floruit, id saeculo VI. ineunte fuit. Nam tunc temporis apud nos plurimi ingenio, eloquentia, eruditione praestiterunt: Laurentius Episcopus Mediolani, Ennodius omnis doctrinae fama excellens, Deuterius grammaticus, Arator poeta sacer, Constantius vir illustris, Fidelis, Celsus, aliique plures de quibus Ennodius mentionem facit; quibus et Boethius addendus est. Quidquid literarum erat, id omne versabatur colebaturque: latini et graeci historici, oratores, philosophi, poetae: prostabant bibliothecae omnibus perviae, tum gymnasia, et academiae, et scholae, et auditoria; et publica discipulorum certamina, et laudes et praemia. Dolendum equidem, literas male tunc fuisse conversas ad ampullas verbaque nimis sonantia, et ad ornamentorum fucum: attamen hoc idem vitium culturam, studium, literarum aemulationem significat. Jam vero hunc eumdem rei literariae statum exhibet Auctor.

Nam primo de gusto literario. Quid de hoc Auctor? *Praesentium temporum novelli auditores*, inquit [3], *vocalioribus sententiis, quasi tinnientibus cymbalis, multo amplius delectantur, et syllogismorum consonantium modulis magis quaeque legerint vel audierint, quam rerum gestarum pondere metiuntur.* Quo igitur tempore Auctor vivebat, id erat auditorum studium ut sententias ita concinno et sonanti [4] modulo expressas appeterent ac cymbali harmoniam: cui quidem vitio, dum condemnare videtur, ipse Auctor toto opere obsequitur, congestis undique ad sonum et rotunditatem superabundantibus verbis.

Nec solum stili rotunditas et ampullae, sed et usus decerpendarum ex poetis phrasium, scriptores hujus aetatis nota-

1 Justinianus *Novella* VIII. Consulendus Pancirolus *Comment. in Notitiam Imper.*

2 τὴν νῆσον πᾶσαν ἐλυμήνατο. Theophanis *Chronographia.*

3 Cap. XII.

4 En tibi ex Ennodio coaevo exemplum ex *Dictione I. in Natali Laurentii Mediolanensis Episcopi*, sive in Anniversario Consecrationis ejus. *Libet dicendi principia Consecrationis tuae derivare de tempore; et cum anni renascentis infantiâ, florulentâ, si valeo, dictione vernare. Nunc cum terrae succus per venas arentium virgultorum currit in germina, et alvus sicci fomitis, humore maritata turgescit: cum in blandam lucem novelli praesegminis comae explicantur arboreae, et omnis ramorum plectura diffunditur, vel quae intra tunicam natura arctaverat frondium decora solvuntur .... Nunc mutuis palmitum brachiis vinearum texitur aprica formositas et ante maturitatis tempus vultum frugiferum cultura componit ....*

tos facit: nimis enim tribuebatur rhetoricis floribus. Itaque dictiones, similitudines, versus integros ex antiquis poetis sibi usurpabant, saepe etiam carmina miscentes prosae orationi. Hoc quidem et Auctoris mos est: qui ex Virgilio praecipue, ex Lucretio, ex Ovidio, ex Plauto, poeticas imagines, verbaque ipsa desumit, et narrationibus suis interserit.

Demum ut vigebat illa aetate omnigenae eruditionis amor, ita et Auctor eruditissimum se prodit. Nam quamvis de se humiliter sentiens dicat: *Aliqua ex his studiis delibaveram, sed longi temporis desuetudine me amisisse confiteor;* tamen latinos graecosque libros satis diligenter versasse et prae oculis habuisse patet. Ubique graeci sermonis gnarum se et studiosum manifestat, et graecos Ecclesiae historicos in ipso fonte gustasse. Ignatii Martyris Epistolas, Epistolam Ecclesiae Smyrnensis, Eusebium Caesaraeensem, Sulpicium Severum, Hieronymum, Orosium, Lactantium duces scribendo sequitur: Varronis vero, Flori, Eutropii, Ausonii, Pompei Trogi sententiis saepe utitur. Nonnunquam autem cum eruditione congruit ipsa etiam scribendi ratio, bona scilicet et ad optimorum imitationem concinnata; uti videre est cap. XIII. quo de Calimero Mediolanum veniente et ad episcopatum evecto, tum cap. XVI. quo de Monae moribus sermo est. Semper autem latina phrasi incedit nec ineleganti, excepta vix aliqua interdum rusticitate saeculi VI. vitio tribuenda.

Atqui hoc literarum studium, haec cultura, et rhetorica amaenitas, quasi repentino turbine a Gothis perculsa fuit, et usque ad saeculum XI. prostrata jacuit. Audiendus Sassi *De Studiis Mediolani Prodromus* cap. VI. Postquam humaniora studia ineunte saeculo VI. optime florentia descripsit, scholasque, et literatos homines recensuit, progressus ad bellum Gothicum et ad excidium urbi nostrae anno 539. illatum, ita scribit: *Huc usque, ut ita dicam, triumphalem literarum aetatem exegimus: nunc ad ea saecula progrediendum est, quae foeda inscitiae caligine nonnisi horrorem clademque miseram liberalium disciplinarum spirant. Cum enim, Gothis italico imperio potitis, sola in pretio foret militaris ferocia, exosae literae solum vertere coactae sunt, totaque propemodum Italia migrare.... Mediolanum sub Vitige tanta clade affectum est, ut lugere debuerit direpta moenia.... In hujusmodi vastitate quis esse poterat cultus scientiarum?... Nec pacatior fuit sub regibus Longobardis literarum conditio....* Hoc modo pergit describens Italiae depopulationes, strages, ruinas, quibus factum est ut nullus studiis scholisve esset reliquus locus: fuisse quidem episcopos monachosque sacris scientiis intentos, sed forma scribendi tam rudi usos ut pene extincta literarum cultura illis saeculis visa sit: nec usque ad saeculum XI. illam revixisse. Hanc historicam veritatem illustravit etiam Muratorius [1] Dissertatione: *De Literarum statu, neglectu et cultura in Italia post barbaros in ea invectos usque ad annum Christi millesimum centesimum.*

Igitur a vastatione Mediolani, et ab regno Gothorum usque ad saeculum XI. nulla erat liberalis cultura, sed scribendi modus barbarus, nec ad grammaticae leges accommodatus, nec optimis aucto-

1 T. III. *Antiquit. Ital. Medii Ævi.*

ribus pedissequus, nec ad geographiae aut historiae normam bene compositus. Quae omnia rite perpensa manifestum faciunt, scripsisse Auctorem ante illud excidium et tempora tam infelicia.

Caput VI.

Idem confirmatur argumentis historicis.

Primum ex historia argumentum nobis suppeditat silentium de s. Barnabae martyrio. Cum Auctor Barnabam Ecclesiae Mediolanensis conditorem dicat, ex re erat martyrium illius referre, quo modo de illo Apostolo caetera retulerat. Quid enim huic Ecclesiae gloriosius quam conditoris et patroni mors pro fide Christi strenue oppetita? Et quidem Barnabas martyrium in Cypro splendide consummavit; quare in antiquis Liturgiis graecis [1] appellatus est *generosus martyr γενναιομάρτυρ.* Veruntamen ejus mors ita in abdito contigit ut nulla superfuisset memoria, nisi saeculo V desinente, ipse Barnabas revelasset et martyrium suum et Reliquiarum locum: cujus martyrii et revelationis historiam scripsit graeca eleganti *Laudatione* monachus Cyprius Alexander [2]. Jam vero cur noster Auctor nec de martyrio nec de hac revelatione verba facit? Plane ea de causa quod nondum scripta vel nondum diffusa in Occidente esset illa Alexandri historia, quae sub finem saeculi VI. publicata est [3], quaeque postea ab Ecclesiis occidentalibus plausu excepta et in latinum versa jam saeculo VIII. passim legebatur. Ita sentiendum etiam de Actis martyrii Barnabae scriptis a pseudo-Joanne Marco, quae in Occidentem circa saeculum VIII delata et interpretatione donata fuerunt. Auctor itaque ignorans omnes has novissimas Barnabae glorias, nihilque de morte, nihil de revelatione Reliquiarum ejus dicens, vixisse putandus est ante finem saeculi VI.

Eodem modo patet Auctorem scripsisse antequam Epistola de sanctis Gervasio et Protasio falso tributa s. Ambrosio [4], in lucem prodiret. Prodiit autem, ut recte judicat Mazzocchius arte critica praestantissimus [5], saeculo VI. Attamen Auctor passionem sanctorum Gervasii et Protasii narrans in pluribus adeo ab illa Epistola discrepat ut evidens sit eum ante scripsisse quam illa ederetur. Vide quae dicta sunt pag. 25. nota 1.: quibus adde, ab Auctore martyrium illorum ad Neronis tempora referri, quod ab illa Epistola temporibus M. Aurelii, bellique Marcomannici anno 168. confecti tribuitur [6].

Neque sine animadversione praetereunda est Chronologia qua Auctor utitur. Etenim post sextum saeculum apud christianos scriptores invaluit usus numerandi annos *ab Incarnatione Domini*, secutos aeram Dionysii Exigui Auctori nostro coaetanei. At vero noster Auctor antiquum morem adhuc praesefert: quippe utitur chronologia Imperatorum: *an-*

1 Liturgia Syriaco-graeca in Ordinatione magni OEconomi apud Morinum.

2 Vide de hoc Panegyrico Alexandri Monachi, Dissertat. III, cap. 3.

3 Mazzocchi: *Kalendar. Neapolit.* sub die X. junii cap. III. De aetate *Laudationis* Alexandri Monachi.

4 Epistola olim LIII. quae incipit: *Ambrosius servus Christi Fratribus per omnem Italiam aeternam in Domino salutem:* nunc in Appendice.

5 Kalend. Neap. die XIX. jun. c. II.

6 Pariter quae de revelatione corporis s. Castriciani narrat indicant scripsisse eum ante aedificationem Ecclesiae s. Joannis *in Concha*, quae quidem jam anno 875. antiqua erat. Vide pag. 45. nota 5.

no Claudii XI: ad X Neronis annum: usque ad V Domitiani Caesaris annum. Quod siquando aeram christianam signat incipit a Passione vel ab Ascensione Christi, dicens cap. II: *anno XIV. post Passionem Domini;* cap. III.: *anno XVIII. post Ascensionem Domini.* Illam vero methodum Dionysius invexit post consulatum Lampadii et Orestis, scilc. an. 532.

Demum considerandae sunt phrases liturgicae, aliaeque christianae dictiones quae ad priora sex saecula referre debebit quisquis vel leviter illorum temporum ecclesiastica scripta versaverit. En tibi specimen istarum phrasium.

Depositio, depositus est, i. e. sepultus: passim.

Christianae plebi poliandron fecit, scilc. sepulchretum, pag. 30. nota 2.

Dominici corporis fabrica, i. e. Ecclesia: pag. 38.

Christi vexillum suis imprimens manibus: i. e. signum crucis: pag. 39.

Concilia Sanctorum: i. e. coemeterium sive Ecclesia Martyrum: pag. 47.

Corporis gleba: i. e. cadaver: pag. 47.

Credulitas: i. e. fides simplex et sincera, pag. 40. notam 2.

Sacri baptismatis signacula exsequi: Christi signaculo insigniri: pag. 59.

Christi signaculum percipere: pag. 42.

Sacri baptismatis lavacro consecrare: pag. 20.

Catechumenos in Trinitatis nomine tingere: pag. 21.

Universi qui signati erant: i. e. baptizati et confirmati: pag. 20.

Candidati in paschali solemnitate: pag. 20.

Juges Christi sacramentorum hostias immolare: pag. 38.

Immaculati Agni corpore litare et sanguine: pag. 56.

Divina in commune libare mysteria: pag. 20.

Fidelium coetibus sacramenta sanctificata porrigere: pag. 56.

Sacerdotale pondus: Sacerdotalis cathedra: Culmen sacerdotale: i. e. episcopatus.

Cessavit episcopatus anno et medio.

Sacerdotalis cathedrae successio cessavit usque ad....

Ecclesia sacerdotali benedictione viduata: i. e. sine episcopo: pag. 31.

Sacerdotali stola indui et sacrosanctae benedictionis eulogio cumulari: pag. 33; i. e. ordinationem presbyteralem suscipere: ubi evidenter ritus antiquus apparet consecrandi presbyterum cum *benedictione* (id est oratione impositionem manuum comitante) et *stola.*

Ad sacrosanctae benedictionis apicem protraherent: i. e. ad episcopale culmen.

Paroechias: i. e. dioeceses.

Magnificus testis Christi Nazarius: i. e. martyr: pag. 25.

Dies passionis ejus pridie Kalendar. Augusti.

Depositus sub Maximiano Imp., regnante Domino N. J. Ch.

Fuit temporibus Hadriani, Antonini, Commodi: Fuit temporibus Severi, Antonini, Macrini etc., qui chronologiae modus passim in antiquissimis martyrum actis reperitur.

Episcopus, nunquam Archiepiscopi titulus: quod quidem speciali animadversione dignum est. Nam ex una parte Auctor totus est in tuendis Metropoliticis juribus Sedis Mediolanensis, quod apprime congruit cum moribus et historia saeculi V. et VI.: ex altera non profert ambitiosum titulum Archiepiscopi neque de ipso vivente Episcopo suo lo-

quens, quem alioquin compellans vocat *Praesulem excellentissimum*, *Pastorem almificum, optimum.* Titulus enim Archiepiscopi saeculo circiter VII. in usum venit.

Omnes istiusmodi dictiones vetera illa saecula referunt.

Caput VII.

Episcopus ille cui anonymus Auctor hanc Historiam dedicavit, procul dubio s. Datius est: annus autem quo edidit, est 536.

Capitibus superioribus demonstratum est hunc librum scriptum fuisse ante medium saeculum VI., imo inter annum 530 et 539.

Jam vero his novem annis quis episcopalem Mediolanensem Sedem tenebat? Nempe s. Datius, qui ab anno 530. usque ad annum 536. praesens hanc sedem gubernavit, et usque ad initium anni 552. absens tenuit. Datius igitur ille est *Metropolitanae Sedis Praesul cujus jussu sollicitatus et imperio constrictus Libellum hunc cudendum* Auctor *suscepit:* ut testatur suo in Prooemio.

Nihilominus expendenda sunt alia rationum momenta quae hactenus probata strictius confirmabunt.

Ac primo Auctor asserit, Episcopum cui Librum inscribit *ad culturam ecclesiasticae disciplinae fuisse egenitum et esse provectum;* quibus verbis designatur Episcopum hunc ad sacram et ecclesiasticam disciplinam, vel in monasterio, vel intra domus Episcopalis septa a juventute fuisse educatum. At Florinus abbas Aventicensis patrià Papiensis, in Epistola ad Nicetium Trevirorum Episcopum anno 551. de Datio mentionem faciens inquit: *Beatissimus vir dominus meus Datius episcopus quem monasterii septa sacrarunt successorem* (s. Ambrosii): quae verba de monastica professione interpretatur Oltrocchus [1], ego vero de episcopali domo mallem intelligere: vox enim *monasterium* utroque sensu tunc temporis sumebatur.

Rursus loquitur Auctor de hoc Episcopo suo tamquam de viro omnigenae sanctitatis. Ait enim, *quidquid vestra Sanctitudo praecepit:* vocat illum *Pastorem Almificum, Praesulem optimum, Beatissimum*, *Excellentissimum*, *etc.* Jam vero Cassiodorus, L. XII. Epist. 27. *Datium sanctissimum* appellat, *cui est studium facere bonum:* Florinus citatus eumdem vocat *beatissimum virum,* et omni reverentia et fide se ejus precibus commendat; Vigilius autem Papa illum omni laude cumulat [2].

Auctor circumstantias temporis, quo Episcopus suus *huic Sedi insidebat* ita tangit: *Non sine maxima gratiae Dei dispensatione in praesenti turbine Pastor probaris insidere Sedi Metropolitanae Italorum,* scilicet Mediolanensi. At quemnam turbinem hic intelligemus? Profecto arianam persecutionem. Anno enim 536. Gothorum rex Theodahatus arianae haeresis acerrimus fautor bellum religioni catholicae et episcopis indixit: qua persecutione demum et Datius *fidei causa* Mediolano *exactus* et in exilium pulsus est, ut testatur s. Gregorius Magnus [3] et Epistola Cleri Italici ad Legatos Francorum Constantinopolim proficiscentes [4].

1 Oltrocchi, *Hist. Ecclesia Mediolan. Ligustica.*
2 Apud Labbaeum Acta Concil. T. V. in fine.
3 S. Gregorius Dialog. Lib. III. c. 4.
4 Acta Concil. loco citato.

Neque de hoc anno 536. dubitare nos sinit Epistola illa ad Legatos Francorum. Illa enim scripta fuit sub initium anni 552., in eaque Clerus Italiae conqueritur, *Datium jam a quindecim vel sexdecim annis abesse Mediolano.* Itaque regrediendo per annos, puta, quindecim cum dimidio, pervenis ad medium annum 536., quo et *turbo* ille persecutionis saeviit et Datius demum in exilium *exactus* est.

Vides jam omnia cum hac aetate et cum Datii persona ita congruere, ut nullus alius censeri possit, cui Librum Auctor dedicaverit.

Cum vero Liber operâ et jussu Datii confectus fuerit, et illustre Datii nomen fronte praetulerit, Auctor autem proprium nomen celatum voluerit scribens, *titulum frontis eradam, ut muta sit pagina nec loquatur Auctorem,* inde factum est, ut hic Liber sive Historia vulgo appellaretur Datiana et tamquam Datii Episcopi opus haberetur, juxta illud proverbium: *Qui per alium facit ipse facit.*

Equidem extitisse Datii nomine de rebus Mediolani Historiam vel Annales, plurimorum veterum traditio et testimonia confirmant. Ac primo Miscella Historia quae saeculo VIII. confecta est, Libro XVI. cap. 15. ex Datio de Mediolanensi fame narrationem excerpens ait: *Sicut vir beatissimus Datius Mediolanensis Antistes retulit.* Pariter Anastasius saeculo IX. *Vitae Pontiff. Romanor.* in s. Sylverio de eodem facto scribens inquit: *Ut Datius Episcopus Mediolani Relatione sua evidenter narravit.* Quidquid id fuerit quod *Relationis* vel *Narrationis* nomine isti intellexerint, certum est, antiquam esse traditionem, Datium *Annalium Libris,* ut tradunt Acta Eccl. Mediol., vel *Chronico* ut Possevinus mavult appellare, operam dedisse.

Accedit Landulphus Senior saec. XI. qui in sua Mediolanensi Historia passim innititur auctoritati s. Datii, et toto Libro I. ex eo monumenta historica profert tamquam omnibus nota et probata. En tibi illius verba:

Caput 2. Expositio Ordinum s. Ambrosii edita a sanctae memoriae Datio Episcopo Mediolanensi.

Caput 4. De Cardinalibus Mediolanensis Ecclesiae secundum Datium.

Caput 12. De Chrismon s. Ambrosii a Datio Episcopo Mediolanensi.

Caput 13. De Crucis Antiphona a Datio.

Quae cum animadvertisset Petrus Puricellus in Notis ad hanc Historiam Landulphi ita commentus est: « Landulphus Ordinationes Mysteriorum Ambrosianae Ecclesiae primo loco inseruit secundum expositionem Datii olim Mediolanensis Episcopi. Ni velis dicere continuatas a Landulpho Datii narrationes. » Hinc perfecto ortus est error appellandi Historiam Landulphi sub nomine *Chronicon Datii:* Landulphus enim fere totum librum primum rebus ex Datio excerptis compegit.

Adde ex Nicolao Sormano quod sub finem saeculi XII., praesentibus Mediolani beato Petro Abbate et sancto Alberto Episc. Vercellensi Legatis sanctae Sedis, prolata sunt volumina de Ordinibus Ecclesiasticis a s. Ambrosio institutis vel emendatis: quae asservata in archivio Basilicae Ambrosianae vidisse testatur Nicolaus Sormanus, in iisque scriptum legisse: *Et hoc scriptum est in Libro Annali Ecclesiae Mediolan. qui consuevit esse authenticus, qui inscri-*

bitur DATIUS in quo multa de antiquitatibus hujus civitatis descripta sunt [1]. Quo in testimonio tria notanda occurrunt: primum extitisse revera Historiam Ecclesiae Mediolan. sub Datii nomine: secundo, istud exemplar adhuc *authenticum* saeculo XII. fuisse, id est non corruptum a Nicolaitis vel Simoniacis qui libros hujusmodi vitiabant et ad proprios errores tuendos convertebant: tertio, eamdem historiam gessisse titulum *Liber Annalis Ecclesiae Mediolanensis;* quo eodem titulo etiam Landulphus Senior saeculo XI. illam indicabat, nempe *verissimi Annales et Descriptio Situs Mediolani*, tum *Nostri Annales.* Ita Landulphus [2] L. II. cap. 2. et cap. 15, ibique affert excerpta ex hac Datiana Historia manifesta testimonia.

Satis igitur demonstratum est, Anonymi nostri Auctoris Librum scriptum fuisse anno 536., illumque s. Datio Episcopo Mediolanensi inscriptum, dedicatumque fuisse.

Caput VIII.

Expenduntur difficultates quae contra hanc Auctoris antiquitatem a Muratorio opponuntur.

Muratorius tantam hujus Libri antiquitatum sibi non persuaderi in *Praefatione* sua fatetur. Objicit difficultates: at levissimas illas easque subdubitanter et incerte. Nec aliter se gerere poterat: quippequi manuscripta, ut ipse ait, *adolescens descripserat*, neque postea diligenti examine Librum penitus investigavit, immo tot mendis et erroribus textum deformem fecit, ut neque sensum auctoris curasse videtur. Cumque antiquissimum MSS. Codicem Ambrosianae Bibliothecae, quem ego protuli, se edere professus sit, revera longissime ab illo discrepat. Ex. gr. omisit omnes notas chronologicas quae cap. III. leguntur de adventu Barnabae; integros versus hic illic, signatis puncto lacunis, omisit; quae quidem in illo Codice clara et perspicua apparent: omitto plura alia, quae in notis videri possunt.

Veniamus ad difficultates quas Muratorius opponit. Ac primo animadvertit, Auctorem hunc nostrum suo in Prooemio tribuere Papae Damaso *Vitas Romanorum Pontificum*, hancque opinionem valde sero invaluisse. At ego capite I. hujus Dissertationis, jam demonstravi, opinionem illam ortam esse circa annum 530., ipsâmet Auctoris nostri aetate.

Rursus opponit, memorare Auctorem vocabulum *Papiam*, dicendo: *Ticinum quae altero vocabulo Papia dicitur*, quando Papiae vocabulum, post saeculum VI., *ut est verisimile*, inquit, in usum venit. Ast longe verisimilius est, vocabulum illud saeculo VI. jam communi sermone usurpatum fuisse. Nam ecce tibi Cartham sive Rithmum quem in lucem protulit Oltrocchus [3], scriptum anno 798. in honorem Cuniperti Regis Longobardorum. In eo canitur de urbe Ticino:

Ticino dicta ab amne qui circumfluit
Proprium gerens Papia vocabulum.

Jam igitur anno 698. urbs illa gerebat proprium vocabulum *Papia: proprium,*

1 Sormani Nicolao Oblato Bibliotecario della Ambrosiana, *Passeggi storici-topografici-critici*, 1751. Milano, giornata prima, pag. 127.

2 Landulphi Senioris, *Hist. Mediol.* MSS. Bibl. Ambros. antiquiss. H. 89. P. inf.: et apud Murat. *Rer. It. Script.*

3 Eccl. Mediol. Histor. Ligust. Lib. III, c. 9.

scilicet speciale, omnibus notum, ideoque vetustum. Immo prodeat in medium Diploma Adalohaldi Regis Longobardorum pro Monasterio Bobiensi, signatum *Papiae Palatio, anno regni nostri feliciter septimo*, id est anno 622. Quod si vocabulum Papia jam initio saeculi VII. in diplomatibus, aliisque hujusmodi publicis monumentis adhibebatur, consequitur jam tum publici usus veterisque consuetudinis fuisse. Re quidem vera plerique scriptores rerum Ticinensium, etsi diversimode etymologiam originemve nominis referant, consentiunt tamen *Papia* vocabulum urbi inditum postquam a Gothis anno 476. eversa iterum aedificata est, et in meliorem formam redacta. Ego vero omissis illorum etymologiis, non absurdum puto illud nomen *Papia* ex Epiphanio urbis episcopo derivare. Ille enim Ticini vastitate et flammis absumptae reparator ac pene parens fuerat, teste Ennodio qui *in Panegyr. S. Epiphanii Ticinensis Episcopi: Status civitatis*, inquit, *quem multitudo barbarica succidebat, unius fortissimae columnae sustentatus resurgebat auxilio: nec tantum ad delendum sufficiebat exercitus, quantum ad reparandum unius persona Pontificis* (Epiphanii). Deinde Ennodius pergit referre quanta Epiphanius pro instauratione urbis gesserat. Quae omnia cum perpendisset Gattus [1] scripsit: « Romano labente imperio omnino deleta est urbs ista sub Odoacre; verum curâ Epiphanii ejusdem episcopi non solum in pristinam gloriam restituta est, sed illustrius aucta ».

Jam vero ex una parte solemne est urbibus nomen conditoris vel reparatoris poni: ex altera vocabulum Papia reliquias nominis Epiphanii servat, quasi dicta fuerit *Epiphanaeia*, Piphanìa, Panìia, quod quidem vocabulum uno post et altero saeculo corruptum, et male versatum pro consuetudine populi, apparet in monumentis antiquis. Nam exempli gratia in Chronico Monasterii s. Galli scripto saeculo VIII. [2] Papia dicitur *Peccanìa civitas sive Ticinum; peccanìa* quasi diceres *peffanìa*. In Annalibus Francorum ejusdem saeculi [3] dicitur *Paveìa;* quasi diceres *pafeìa*, vel *pafenia*. Adde cum Mabillonio *Iter Italic.* T. I. vocabulum *Ticinum* transisse in nomen Palatii a Theoderico Gothorum rege prope Papiam erecti, vocabulum Papia vel Pavia urbem indicasse. Ita enim legitur in Diplomate Berengarii anni 903. pro Bobiensi monasterio: *Datum Papia civitate, Palatio Ticinensi.* Vide etiam Gattum citatum. Caeterum cum nos Historiae hujus Datianae non habeamus autographum sed tantum codices apographos, quidni amanuensis qui exemplaria exscripsit saeculo VIII. vel IX. proprio marte addiderit verba, *quae altero vocabulo Papia dicitur?* Istiusmodi ausus temerarios passim reperiunt eruditi veterum exemplaria ad trutinam revocantes.

Pergit Muratorius: Auctor *Liguriae* etymologiam deducit a *legendis leguminibus*, quae opinio est Pauli Diaconi in *Hist. Longobardor.* qui scripsit post saeculum VIII. — Quidni Paulus ab Auctore nostro illam sumpserit opinionem? Ve-

1 Urbis et Gymnasii Ticinensis Historia cap. I. idem et Bernard. Saccus, Histor. Ticin. Lib. VII. cap. 9.

2 MSS. Monast. Sangallens. et apud Balutium *Miscellanea* Lib. I.

3 Apud Du-Quesn. T. II.

rum et Auctor et Paulus illam etymologiam a M. Varrone *de Re Rustica* Lib. I. cap. 32. deprompsisse putandi sunt, ut demonstratum est pagina 5, nota 3.

A Paulo Diacono pariter, inquit Muratorius, hausit aliam opinionem *de Gallia Cisalpina, de Brenno, etc.* Verum hîc quoque Auctor opinionis suae ducem secutus est non contemnendae notae, nempe Justinum historicum sive Pompeum Trogum *Histor.* Lib. XX. cap. 5., tum Titum Livium Lib. V. c. 25. Consule paginam 6, nota 1.

Itaque invicta stant argumenta quibus demonstratum est, Auctorem scripsisse saeculo VI. anno 536. sedente Mediolani episcopo Datio.

DISSERTATIO II.

DE CHRONOLOGIA QUAM AUCTOR SECUTUS EST.

Inter praecipua quae historicum commendabilem faciunt, est Chronologia rite ad veritatem disposita: adeo ut siquis liber anachronismata praeseferat, epochas scilicet inversas vel perturbatas, plerumque inter commenta et fabulas amandetur. Jam vero nostro Auctori ea dos constat; nam et epochas singulis fere passibus signat, et eas ad optimorum historicorum normam componit. Immo in epochis dubiis signandis plerumque meliorem tenet opinionem et quae recentioris criticae suffragium fert; quod suis locis notatum patet. Duae tamen epochae in MSS. aliquantisper laborant: quod quidem evidentissimo amanuensis vitio tribuendum est. Nam Auctor etiam duobus his in locis ita rerum seriem disposuit, easque congessit circumstantias, quibus, digito quasi, errorem indicat et corrigendi rationem suppeditat. Duo haec loca sunt in capite tertio et quinto: eaque accurate sunt expendenda.

Auctor, capite tertio praemissis in compendio praecipuis de Barnaba notitiis, narrationem exorditur ab *anno quartodecimo*, ut notat, *post Domini passionem*, quando *Apostoli per impositionem manuum Paulum et Barnabam ad apostolatus fastigium extulerunt, et ad gentium magisterium pariter destinarunt. Act. Apostol.* cap. XIII.: quae epocha concordans cum anno aerae vulgaris circiter XLVI. viris eruditis [1] probatur.

Prosequitur Auctor: *Exin circumquaque diffusas aggredi caepere regiones, insulas, provincias, verbi Dei semen Gentilium mentibus inserendo:* breviterque perstringit primum eorum apostolicum iter Cypri et Asiae minoris: deinde refert dissensionem inter Paulum et Barnabam obortam in initio secundi itineris, causâ Joannis Marci; quae dissensio evenit [2] *aliquot dies post* Concilium Hierosolymitanum habitum anno aerae vulg. 50. [3]. *Barnabas igitur separatus corpore, non animo a Paulo, Cyprum patriam repetiit insulam.... Non post multum denique temporis ascendens navim adiit Romam, cum esset annus a constitutione ejus DCCXCV. hoc est annus Claudii I. post vero Domini Ascensionem VIII.... primus ex apostolis filium Dei Romano coetui proclamavit.* Unusquisque primo statim intuitu erroneas esse hujus epochae notas intelligit. Nam si anno post passionem Domini decimoquarto, Barnabas coepit primum iter apostolicum, si deinde post quatuor annos interfuit Concilio Hierosolymitano et post Concilium separatus a Paulo suscepit hoc secundum iter;

1 Art de vérifier les Dates: *chronologie apostolique*. Paris, 1818: Pagi ad ann. 46. in Notis Baron. et ad ann. 42.

2 Act. Apostol. c. XV. 36.

3 Apud omnes fere auctores. Immo Vitrè notat id fuisse anno 50. ineunte.

evidentissimum est, istud non contigisse anno post Ascensionem (vel Passionem) octavo. Quinam igitur annus ab Auctore signatus supponendus est? *Decimus octavus*. Fuit itaque omissa nota numeralis X. Quae quidem numeri decimi omissio facta est etiam in nota numerali annorum ab urbe condita et annorum imperii Claudii. Quare evidentissimum est Auctorem scripsisse:

Barnabas ... adiit Romam cum esset annus a constitutione ejus DCCCV.
Claudii . . . . XI.
Post Domini Ascensionem . . . XVIII.

Quae omnia optime cum historica veritate concordant. At vero Amanuensis imperitus et audax quid fecit? Numerum decimum anni Claudii elevavit et inseruit annis Romae sic: DCCXCV; quo ille numerus factus est minor annis decem et loco 805. factus est 795.; undecim vero anni Claudii exspoliati decimo numero redacti sunt ad unum: anni autem octodecim post Christum in coelos regressum, expuncto numero decimo, redacti sunt ad octo.

Adeo istud Amanuensis malum arbitrium subito patuit, ut in antiquissimo MSS. Ambrosiano alia manus correxerit epocham, addita super *octavo* alia nota *decimo*. Quam ego correctionem magni facio: nam manus corrigentis et ipsa antiquissima est.

Manifestum est igitur, notas veras ab Auctore signatas, fuisse annum Urbis Conditae DCCCV., Claudii XI. post Domini Ascensionem XVIII. scilicet annum aeris vulgaris 51.: quae epocha confirmabitur ex postea dicendis.

Ast quorsum Amanuensis chronologiam istam imminuit? Facilis et obvia patet ratio. Sciebat, hunc illum scriptorem tradere, beatum Petrum anno Claudii II. evangelicam lucem Romam attulisse: habebat ante oculos praecipue Paulum Orosium [1] docentem: *Anno ab urbe condita DCCXCV. T. Claudius ab Augusto quartus, regnum adeptus est. Exordio regni ejus Petrus Apostolus Romam venit.* Quid fecit Amanuensis? Ut Barnabae sarta tecta gloria maneret, eumdem primum fuisse apostolum qui Romae Christum praedicaverit, ratus Petrum Romam ingressum anno Claudii secundo, U. C. 796., textum Agiographi corrupit, suaeque opinioni aptavit scribens, Barnabam advenisse anno antecedenti, scilicet U. C. 795. Claudii 1. post Domini Ascensionem 8.

At vero optimi auctores et recens critice satis favent opinioni, Petrum Romam venisse sero, scilicet non sub Tib. Claudio, sed sub Nerone Claudio (ut notat Baluzius ad sequentem Lactantii locum), et tunc demum apostolicam ibi cathedram statuisse. Profecto antiquissimus Catalogus Pontificum editus secundo loco ab Henschenio in *Act. SS.* ante Tom. I. Maji inter vetustiores Catalogos Pontificum Romanorum, sic Petri adventum refert: *Hic Petrus ingressus urbem Romam Nerone Caesare, ibique sedit cathedram episcopatus.* Item Origenes apud Eusebium Histor. Eccl. L. III. c. 1. commemorans provincias quas evangelio Apostoli illustrarunt ait: *Thomas quidem ... Andreas ... Petrus per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam atque Asiam Judaeis praedicasse existimatur. Qui ad extremum Romam veniens cruci suffixus est. Haec*

[1] *Pauli Orosii Histor. ad Aurelium Augustinum:* Lib. VI. c. 6.

Origenes in tertio Volumine Expositionis in Genesim disertis verbis commemorat. Lactantius vero cap. 2. *De Morte Persecutorum*, manifeste dicit: *Cum jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, Deoque templum fidele ac stabile collocavit,* id est religionem et cathedram apostolicam [1]. Hoc modo loquitur et ipsemet Auctor Datianae hujus Historiae cap. V.: *Sub idem fere tempus* (i. e. circa annum 64., anno Neronis decimo) *Apostolorum princeps jecit Romanae Ecclesiae aeternale fundamentum.*

Ac re quidem vera, quaenam fuit potior causa quae Petrum impulit ut Romam veniret? Fuit, juxta Eusebium Histor. Eccl. 2. 4. perversitas Simonis Magi qui ab Oriente digressus Romanos suis artibus fallebat. Atqui praestantissimi historici et scriptores veteres Sulpitius, Philastrius, Maximus, Augustinus tradiderunt, Simonem venisse Romam sub Nerone. Affero unum Philastrium Brixiensem Episcopum [2]: *Cum Simon Magus beatum Petrum Apost. de Hierosolymitana civitate fugeret, Romamque veniret, ibique pugnaret cum beato Apostolo apud Neronem Regem, devictus undique oratione beati Petri atque percussus ab angelo sic meruit interire, ut, etc.* Quare Ambrosius noster, Serm. *De Basilicis trad.*, breve tempus ponit inter victoriam de Simone et mortem Petri, dicens: *Petrus, victo Simone, cum praecepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos infidelium; quibus eum quaerentibus... correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Jesum.* Quae omnia Pagius cum perpendisset in notis ad Baronium sub anno 54. n. III. asseruit, Petrum venisse Romam certe non ante imperium Neronis, sed sub Nerone; quo Neronis anno incertum esse. Neque quis putet supremo Sedis Romanae primatui detrimentum aliquod creare illum qui alios discipulos ante Petrum Romae evangelium praedicasse doceat. Non enim Roma sedes Petri est eo quod ille primus illic evangelium attulerit, sed potius quod Petrus Apostolorum princeps et Ecclesiae universae caput sedem ibi collocaverit sibi et successoribus suis [3].

Fraus sive error Amanuensis, de quo hactenus egimus, redundavit in alium errorem circa notam chronologicam, quae sequebatur, designantem annos sedis Anatalonis. Cum enim tetigisset primam illam, consequens erat ut et hanc sequentem tangeret, ne sua fraus illico pateret. Itaque ut in primo loco abstulit annos decem ex numeris Auctoris ita in hoc secundo aliquantulum imminuere annos ausus est, sed manu imperita, reliquit fraudis suae vestigia. Scripsit igitur, Anatalonem sedisse annos tredecim; idque verissime, nam concordat cum serie historica et cum vetustissimis Catalogis. Ast dum hos annos tredecim suis terminis includere nititur, Auctoris textum manifesta fraude corrupit. Posuit enim Anatalonem *fuisse in pastorali cura ab anno VII. Claudii usque ad VIII. Neronis.* Quì fieri hoc potuit? Claudius regnavit annos quatuordecim. Igitur Anatalon sedisset sub Claudio per annos octo, qui cum annis octo Neronis conflarent numerum XVI. At vero, posito illo

1 Vide Balutii notas ad hunc locum.
2 Philastr. De Heresib. c. 29.
3 Vide pag. 11. notam 4.

nostro chronologico fundamento, consequitur Anatalonem sedisse quidem annos tredecim, sed ab anno Claudii XII. usque ad X. Neronis. Quae quidem fuit procul dubio sententia Auctoris. Is enim scribit Anatalonem *depositum fuisse VIII. kalendas octobris* (seu 25. sept.) *cum Neroniana tempestas christianorum incrementa atrocissime depopularetur, delegatis per unamquamque provinciam diri operis executoribus:* quare factum esse, *ut Anatalonis funus occultae sepulturae mandaretur.* Atqui Neroniana ista persecutio irrupit post mensem Julium anni 64. uti apud omnes certum est. Ab hoc igitur anno regrediendo per tredecim annos habes annum 52. aerae vulgaris qui fuit Claudii duodecimus. Numeri igitur ab Auctore signati fuerunt: *ab anno Claudii XII. usque ad Neronis X.* Amanuensis autem mutavit scribens *ab anno Claudii VII. usque ad Neronis IIX.*, scilicet octavum [1].

Caetera chronologiae puncta, toto libro optime cohaerent sive cum rebus ipsis sive cum historiis probatissimis, quae breviter exponam. Anatalonem sequitur Cajus sive Gajus qui *peregit in episcopali ministerio duo et viginti annorum curriculos... mansit in episcopatu usque ad quintum Domitiani Caesaris annum: transiit pridie Calendarum Januariarum* (id est ultimo die Decembris). Jam vero annus Domitiani quintus coepit die 13 Sept. anni aerae vulg. 85.: Cajus ergo transiit eodem anno 85., ultima die Decembris. Computa modo annos 22. regrediendo: assequeris finem anni 63. vel initium anni 64., quo anno die 25. Septembris de hoc saeculo recesserat Anatalo. Quo posito calculo, Cajus episcopalem ordinationem suscepit novem menses ante decessum Anatalonis. Ita sane. Refert enim Agiographus: *Anatalo ordinavit sibi successores duos, alterum Mediolanensis, alterum Brixiensis civitatis episcopum: constituitque ante suum decessum Cajum romanum mediolanensi urbi antistitem.... Quem idcirco s. Anatalon, dum adviveret, ad sacerdotale provexerat culmen, ne forte, se transeunte ad Dominum, tam rudis Ecclesiae status, pastore proprio destitutus vacillare inciperet; imitatus in hoc... Apostolor. Principis exemplar qui Clementem suo loco statuit et sibi subrogavit vicarium.* Omnia rite congruunt.

In Caii vita alia occurrit chronologica nota. Ductus desiderio Cajus visendi Petrum et Paulum, caeterosque apostolicos viros Romam petiit, *anno episcopatus sui quinto, qui erat Neronis ultimus.* Cum Cajus assecutus sit episcopalem gradum anno 63. desinente vel 64. ineunte, consequitur, ejusdem annum quintum coepisse cum initio anni 68., quo eodem anno 68., die 9. Junii Nero se vita privavit, Consulibus Silio Italico et Galerio Trachalo. At vero Auctor tradit, hoc eodem anno Apostolos Petrum et Paulum a Nerone *fuisse peremptos* martyrio; quod ab omnibus diei 29. Junii assignatur. Quomodo haec conciliari vel explicari possunt? Vide quae dixi pag. 21. nota 4.

Defuncto Cajo, Mediolanensis sedes vacavit annis XI. causâ persecutionis Domitiani: *hac igitur causa persequ-*

1 Ut IX. pro *novem*, ita IIX. pro *octo* scribebant veteres, XIIX. pro *decemocto*. Aldi Manut. Orthographiae Ratio, pag. 354. Hac ratione illa fraus minus patuit.

tionis post obitum beatae memoriae confessoris et episcopi Caii, longa intercapedine temporis . . . Pastoris proprii cura remansit destituta . . . donec Nerva in imperium substituto,... Castritianus post duorum mensium luctam *sacerdotali benedictione meruit cumulari.* Qui chronologici characteres signant annum 96. desinentem: nam hoc anno die 18. Septembris Domitianus occisus fuit, et eodem die Nerva suffectus. Adde aliquos dies antequam nuncius de novo imperatore pervenerit et christiani e latebris ad conventum sese recipere potuerint; adde duos menses humilitatis reluctantis Castritiani: jam tangis initium anni 97.

Una igitur cum novo anno 97. Castritianus cathedram mediolanensem ascendit suosque hinc numerat annos. At Castritianus *per annos circiter quadraginta unum luxit in episcopali candelabro... usque ad annum Adriani vicesimum primum hoc est ultimum . . . Obiit die Calendis Decembris.* Itaque Castritianus obiit die 1. Decembris anni 137. post annos 41.; sex vero menses et dies decem ante mortem Adriani Imperatoris vita functi anno 138. die 10. Julii, cum annum ageret vicesimum primum imperii sui coepti die 11. Aug., anni christiani 117.

Castritiano succedit Calimerus, vivente adhuc Hadriano. Nam Auctor ait, tunc Calimerum electum *quum Hadriani vexatione Dei Ecclesia quatiebatur.* Electus est igitur initio anni 138. quo anno Hadrianus die 10. Julii interiit.

Fuit temporibus Hadriani, Antonini, item Antonini et Commodi. Hic beati Kalimeri cursus in stadio hujus vitae, hoc certamen fuit, quod per annorum circiter quinquaginta trium curricula peregit. Dies passionis ejus prid. Kalendar. Augusti. Si calculum ineas ab exordio anni 138., et computes annos 53. habes annum 190., qui erat undecimus Commodi Imp. Sedit itaque annos 53. incompletos scilicet annos 52. menses 7. usque ad 31. Julii anni 190.

Cessavit episcopatus anno et medio: id est a 31. Julii anni 190. usque ad finem Januarii anni 192.

Monas succedit Calimero mense Februario anni 192. post vacationem anni et dimidii: *per annos circiter quinquaginta novem pastorale onus sufferens. Obiit VIII. Kal. Aprilis. Fuit temporibus Severi, Antonini, Macrini, Aurelii, Alexandri, Maximini, Gordiani et Philippi: ad annum usque Philippi septimum, qui et ultimus, fuit reservatus.*

Itaque Monas coepit initio anni 192. et sedit per annos 59. usque ad annum 250. et diem 25. Martii. Philippus autem secundum recentes criticos mortuus est medio Octobre anni 149. post annos V. menses VIII.: ast Eusebius et Hieronymus in Chronico, tum Paulus Orosius et Zonaras, tribuunt illi annos VII. incompletos, ita ut vixerit usque ad annum 150. scilicet usque ad Aprilem anni 150., ut sint anni VI. et aliquis mensis. Vide pag. 67. not. 2.

Post Philippum imperat Decius, qui *non totis duobus annis in male praerepto principatu exactis, cum filio pariter enecatus est.* Decium in imperio suo non implevisse duos annos tradit Eusebius in Hist. L. VII. c. 1. et in Chronico. Vide paginam 69. notam. 5.

Succiso Decio . . . quum Gallus romani imperii dignitatem suscepisset, electus est Maternus pastor plebis *diutina absentia pastoris viduatae.* Itaque a mor-

te Monae et Philippi Imp. usque ad Galli imperium sedes vacavit anno uno et mensibus novem. Nam Decius mortuus est in bello adversus Gothos sub finem Novembris anni 251. Initio anni 252. incipit Gallus et circa Martium Maternus, qui sedit annos 52. et menses sex, usque ad 304., quo *depositus est XV. Kalendas Augustas sub Maximiano Imp.*, qui sequente anno 305. Kal. Maii purpuram imperiumque deposuit Mediolani. Materno succedit Mirocles.

Omnia recte concordant cum historia sive ecclesiastica sive civili, et cum monumentis, memoriisque sive domesticis sive externis.

SYNOPSIS CHRONOLOGIAE

EPISCOPORUM HUJUS HIST. DATIANAE.

Anno Christi

50. S. BARNABAS confecto Concilio Hierosolymitano, assumpto consobrino Joanne Marco petit Cyprum insulam; deinde initio anni
51. 51, *post Passionem Domini anno 18., Claudii 11. post urbem conditam* 805. *adiit Romam et Mediolanum.*
52. S. ANATALO post discessum Barnabae, sedit annos 13., a primis mensibus anni 52., usque ad 25. Sept. anni 64. initio Persecutionis Neronianae.
64. Initio ejusdem anni coepit S. GAIVS fecitque menses 9. una cum Anatalone: sedit annos 22. usque
85. ad 31. Decembris anni 85., qui erat quintus Domitiani Imp.

Sedes vacavit annis undecim ob persecutionem Domitiani Imperat.,

Anno Christi.

96. scilicet usque ad finem anni 96.
97. Initio anni electus S. CASTRITIANVS sedit annos 41. usque ad
137. diem 1. Decembris anni 137.
138. Initio anni electus S. CALIMERVS sedit annos 53., id est 52. completos et menses 7. usque ad diem 31.
190. Julii anni 190. Sedes vacavit anno uno et mensibus sex, id est usque ad finem Januarii anni 192.
192. Mense Februario electus S. MONAS sedit annos 59. id est 58. completos et menses 2. usque ad 25.
250. Martii anni 250. Ob persecutionem Decii Imp. sedes vacavit anno uno et mensibus undecim, id est usque ad Martium anni 252.
252. S. MATERNVS electus circa Martium sedit annos 52. et menses
304. fere 5. usque ad 18. Julii anni 304. fervente persecutione Diocletiani et Maximiani Herculei.

CHRONOLOGIA APPENDICIS.

304. S. *Mirocles* electus, sedit annos 12. usque ad diem 30. Novembris an-
315. ni 315.
316. S. *Eustorgius* electus sedit annos
332. 17. usque ad 18. Sept. anni 332.
332. S. *Protasius* electus sedit annos 22.
353. usque ad 24. Novembris anni 353.
354. S. *Dionysius* electus sedit annos 14. quorum unum et aliquot menses egit Mediolani, duodecim vero in exilio, usque ad diem 25. Maii anni 367. Vacavit sedes fere octo annis.
374. Mense Decembri electus est S. *Ambrosius.*

DISSERTATIO III.

DE S. BARNABAE APOSTOLATU MEDIOLANENSI.

Barnabam apostolum Mediolani religionem christianam sedemque episcopalem fundasse, Auctor pro re certissima tradit, et Mediolanenses ab antiquis temporibus traditum religiose tenent. Verumtamen his postremis saeculis multi illam traditionem parvi facere, et tamquam auctoritate destitutam se rejicere declararunt. Operae igitur pretium erit hanc traditionem examini subjicere, et quidquid ad rem conferat, proferre et illustrare.

CAPUT I.

Mediolanum tempore apostolico ad fidem christianam conversa est.

Is erat apostolis mos, eaque specialis divinae providentiae ratio ut ubi magnitudo urbium majora vitia et superstitiones deteriores congesserat, ibi primo evangelii veritas et sanctitas diffunderetur. Itaque subito vidimus Christi fide instructas Antiochiam, Alexandriam, Athenas, Corinthum, Carthaginem, caeterasque imperii Romani urbes nobilitate et peccatis praecipuas. Quid Romam commemorem? *Ibi*, inquit Eusebius [1], *erat tamquam in eminenti sede magna virtus diabolica*, nimirum omnia religionum et turpitudinum monstra. Quare ipse Apostolorum princeps Petrus Romam adit, erudit, et verbo et sanguine suo sanctam reddit. Jam vero Mediolanum inter clarissimas Italiae urbes jam a tempore Augusti numerabatur; ut facile quisquis discere poterit ex Plutarcho in Marcello [2], ex Strabone [3], ex Polybio [4]. Cur ergo non crediderim ab Apostolis visitatam et ad Christum adductam?

Quod conjiciendo argumentabar id ex monumentis historicis evidenter constat. Nam vetustissimi catalogi saeculo circiter VI. exarati et omni fide digni, item Datiana haec Historia Ecclesiae Mediolanensis ita seriem episcoporum Mediolanensium et annorum quibus sederunt, digerunt, ut saeculum ipsum apostolicum tangat. Ecce tibi ex hac Historia Datiana series usque ad Imperium Constantini:

1 Hist. Eccl. L. II, c. 14. *ἡ ἐφεδρευούσα ἐνταῦθα δυνάμις.*

2 *πολις μεγίστη καί πολυανθρωποτάτη των Γαλατικων. Μεδιόλανον καλεῖται, καὶ* ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ *μὲν αυτὴν οι τῆδε Κελτοί* (Galli Cisalpini) *νομίζουσιν.* Ibi de Rege eorum sermo est qui armis ex auro argentoque fabrefactis et variis picturis ornamentisque fulgidus velut fulgur apparebat.

3 Strabo Geograph. Lib. V. in Descript. Italiae: *Ινσουβροι Μεδιολάνιον ἔσχον* ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΝ ... *νῦν ἀξιολογον πόλιν.*

4 Polybius Histor. Libro II. *Mediolanum praecipuam Insubrum civitatum κυριώτατος τοπος τῆς τῶν Ισομβρίων χωρας: urbem frumento et omni genere commeatus refertissimam.*

	Annos	Menses
Anathalon sedit	12.	9.
Cajus	21.	3.
Insterstitium	11.	
Castricianus	41.	
Kalimerus	52.	7.
Interstitium	1.	6.
Monas	58.	2.
Interstitium	1.	11.
Maternus	52.	5.
	252.	7.

Jam vero Maternus obiit die XVIII. Julii anni 304., Diocletiano et Maximiano Augustis, uti pag. 88. in notis demonstratur. Ab hoc anno si regrederis per dictos annos 252. et menses 7., habes annum aerae vulgaris 51., et tempora apostolica.

Eadem res testimoniis Patrum confirmatur. S. Ambrosius loquens de sacris sancti Gervasii et Protasii ossibus divinitus repertis ait: *Invenimus duos mirae magnitudinis viros quales illa prisca aetas ferebat.* Ast quid tandem indicasse credamus phrasi illa *prisca aetas*, nisi primo saeculo Mediolani illos fecisse martyrium? Valde enim longus temporum lapsus intercessisse putandus est, ut sic imminuta, Ambrosii tempore, videretur corporum proceritas quae tanta apparebat in illis ossibus. Eadem opinio s. Paulino stetit. Canens enim de iisdem sanctis Martyribus, dixit:

Quosque suo Deus Ambrosio post longa revelat
Saecula Protasium cum pare Gervasio.

Post longa, nempe *multa*, saltem post tria saecula, id est a tempore apostolico. Clarius s. Ennodius in Carmine de s. Nazario tempus Neronis signat:

Nerone felix principe
Diversa perpessus mala
Mediolanum tandem venit ....

Vides igitur saeculo apostolico, immo tempore Neronis, Mediolanum florere christianis, et triumphali eorum sanguine redundare.

CAPUT II.

S. Petrus Apostolus de Mediolano ad fidem vocanda curam gessit.

Plura nec contemnenda suppetunt auctoritatum momenta quibus adduci quis poterit ut credat, ipsum Apostolorum principem Petrum hanc urbem adiisse, fideique christianae sacramentis imbuisse. Graecus auctor Vitae s. Petri apud Bollandistas 29. Junii tradit: *Petrum Mediolanum et Lucam* (φωτικην) *urbes mediterraneas venisse, ibique episcopos et presbyteros constituisse.* Et fortasse s. Gaudentius Episcopus Brixiensis *Sermone in die Ordinationis suae* hoc de Petro opinatus est, dum s. Ambrosium prae caeteris episcopis praesentibus invitans ad sermonem faciendum inquit: *Loquetur Ambrosius ... et tamquam Petri Apostoli successor ipse erit os universorum circumstantium sacerdotum, seu episcoporum.* Cur, quaeso, Ambrosius *successor Petri*, non autem et alii qui episcopatus comparticipes praesentes aderant? Omitto reliqua: neque enim expedit in his plus aequo immorari quae nimis incerta sunt.

Illud quidem certum est, Petrum de Mediolano ad fidem vocanda sollicitum fuisse, ipsumque nuncios evangelicos ad nos misisse. Nam, inquit s. Innocentius I. Pontifex Epist. Decretali ad Decentium Episcopum Eugubinum anno 416., *manifestum est, in omnem Italiam ... nullum instituisse Ecclesias nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus aut ejus successores constituerunt sacer-*

dotes. Jam vero ante Petri mortem instituta erat Mediolanensis Ecclesia. Aut igitur Petrus ipse aut discipuli ab eo missi illam condiderunt.

Quapropter Paulus Diaconus saec. VIII. in opuscolo *De Episcopis Metensibus* enumerans Ecclesias ad quas excitandas Petrus nuncios miserat etiam hanc nostram urbem complectitur. Item s. Petrus Damianus saec. XI. Mediolanenses alloquens disertis verbis narrat, primos evangelii praecones a s. Petro ad nos missos fuisse. Erraverint quidem isti in primo sacrorum apud nos institutore designando: attamen a Petro missum uterque scribit: in quo testes sunt traditionis, Mediolanum operâ mediatâ s. Petri ad Christum fuisse conversam.

CAPUT III.

S. Barnabas Apostolus Romae et per Italiam Evangelium praedicavit.

Quaeritur modo quemnam Petrus ad nos miserit coelestium sacramentorum largitorem? Traditio vetustissima profert s. Barnabam: de ea igitur diligenter inquirendum est. Ac primo investigandum esse puto, an Barnabas unquam in Italia fuerit: qua re declarata, facilior erit aditus ad Mediolanensem Barnabae apostolatum demonstrandum.

Barnabas Cyprius, ab apostolis, jubente Spiritu Sancto, segregatus fuit una cum Paulo anno Christi 46., et missus ad praedicandum praecipue *gentibus*. Post Concilium autem Hierosolymitanum, anno 50. habitum, causâ Joannis Marci orta dissensione, Barnabas separavit se a Paulo, et Cyprum petiit, *nihilominus susceptae praedicationis ministerium exercere non destitit* [1]: illudque exercuit usque ad multam aetatem, nempe post annos vitae 65., ut Chrysostomo visum est [2], vel post annum 76., ut Mazzocchius judicavit [3]. Quare longum illi vitae spatium fuit quo peregrinare et apostolum agere potuit, donec in natali insula martyrium consummavit [4]. Locum autem Reliquiarum suarum, cum ignoraretur ab hominibus, ipse Barnabas revelavit anno 478., ut refert Alexander Monachus [5].

Ac primo discimus ab Alexandro Monacho, eum *divinum fuisse gentium ductorem ad Deum, ac universi orbis luminare; eum peragrasse singulas quatuor orbis partes* τετραπέρατον οἰκουμένην, ubique Christum praedicando. Ergo etiam in Occidente venerit. Joannes quidem Chrysostomus venisse eum Corinthum arbitratur, existimans illum fuisse *fratrem Corinthum missum a Paulo, ordinatum ab Ecclesiis comitem itinerum ejus* [6]: quae opinio et Theodoreti fuit et Œcumenii.

A Corintho in Italiam breve iter est. Inquiramus an aliquando huc pervenerit. Tertullianus qui tam proximus aevo apostolico fuit de hac re nobis fidem facit [7]. Tradit enim Barnabam auctorem fuisse Epistolae ad Hebraeos, inquiens: *Extat et Barnabae titulus ad Hebraeos;* qua ex Epistola profert fere totum caput quartum. Jam vero Auctor illius Epistolae illam in Italia scripsit, atque ex

1 S. Hieronymus *De Viris Illustr.*

2 Homil. 2. in Coloss.

3 Comment. in vetus marmoreum Kalend. Neapolit. Ecclesiae x. Jun. ubi de Barnaba disseritur.

4 V. graeca *Acta* Joan. Marci apud Bolland. xi. Jun.

5 Εγκώμιον etc. scilc. *Laudatio s. Barnabae.*

6 Chrys. Hom. XVIII. in II. Corinth. c. 8. ὅθεν μοι δοκεῖ τόν Βαρνάβαν αἰνίττεσθαι.

7 De Pudicitia, c. XX.

Italia salutavit Hebraeos Orientis ad fidem conversos: *Salutant vos de Italia fratres* [1]. Immo certo constabat etiam apud veteres, illam Epistolam scriptam fuisse Romae: ita enim tradidere Joannes Chrysostomus in Prooemio Commentariorum ad hanc Epistolam, Theodoretus in Prologo illius, et celebris Biblia illa Alexandrina, saeculo V. scripta quae in Vaticana asservatur, in calce ipsius Epistolae [2]. Quae quidem Tertulliani opinio multis aliis communis fuit, ut refert s. Philastrius episcopus Brixiensis [3] Ambrosio nostro cooevus. Hieronymus autem, Doctor maximus, in Libro *De Viris Illustrib.* ait: *Epistola quae fertur ad Hebraeos, non Pauli creditur propter styli sermonisque dissonantiam, sed vel Barnabae vel Lucae Evangelistae vel Clementis romanae postea Ecclesiae episcopi,* neque ipse judicium proferre ausus est. Ecclesia quidem judicium suum protulit, docuitque eam Epistolam Paulo auctori referendam esse: verumtamen veteres illi eam Barnabae adtribuentes, persuasum sibi habuerunt, Barnabam in Italiam, Romamque venisse. Eadem opinio de Barnabae in Italiam adventu sancto Joanni Chrysostomo fuit. Cum enim initium Actuum Apostolicorum commentaturus esset interrogavit: Quemnam horum Actuum dicemus Auctorem? *Alii quidem Clementem Romanum, alii Barnabam dicunt* [4], *alii autem Lucam Evangelistam;* demum, cum animadvertisset, scriptorem testari se jampridem evangelium elucubrasse, concludit fuisse Lucam. Jam vero si Barnabas nunquam in Italia fuisset, nunquam Romae, Chrysostomus nullam de eo quaestionem hîc instituisset: nam Auctor Actuum Apostolorum narrat se Paulum Romam usque comitatum esse: *Cum venissemus Romam* [5]. Chrysostomus igitur caeterique illi veteres traditum acceperant, Barnabam aliquando in Italiam venisse non aliter ac Lucam, Clementemve Romanum.

Neque alia esse poterat opinio et traditio: nam *Clemens,* teste Anonymo nostro Datianae Historiae Auctore, *Clemens qui romanam sedem tertius a beato Petro gubernavit, in sua de semetipso Epistola meminit* se Barnabam Romae nunciantem Christum audivisse. Illa quidem Epistola disperiit sicut et pleraque scripta tanti hujus Pontificis qui ab Sozomeno Hist. Eccl. Lib. I. c. 1. velut Historicorum Ecclesiasticorum primus laudatur. Post Clementem ejusdem rei mentionem facit Auctor *Recognitionum Clementinarum* [6] qui scripsit ante annum 216. Eas Recognitiones Rufinus Aquilejensis de graeco in latinum vertit, hortantibus sancta Sylvia Brixiensi virgine et sancto Gaudentio Brixiensium Episcopo [7] et sancto Paulino Episcopo Nolae in Campania: cumque per Graeciam *duae* circuirent *editiones in aliquantis quidem diversae* [8], Rufinus eam elegit vertendam quae sana esset, neque, ut altera, ab Ebionitis corrupta; quaeque ab illis latinis Patribus accepta et in pretio habita est. Pariter Barnabam Romam venisse narrat Auctor qui Clementinas XIX. Homilias saeculo III. scri-

1 Cap. XIII. v. 24.

2 Πρὸς Ἑβραίους ἔγραφε ἀπὸ Ῥώμης.

3 De Haeresib. c. XLI.

4 ἄλλοι δὲ λέγουσι Βαρνάβας. Homil. *in Ascens. D. N. J. Chr. et in principium Act. Apost.*

5 Cap. XXVIII. v. 16.

6 Apud Galland. Biblioth. Patrum.

7 Rufinus in Epist. ad s. Gaudentium. — S. Paulinus, Epistola ad Rufinum.

8 Rufinus in eadem Epist. ad Gaudent.

psit [1]. Neque hi libri Recognitionum vel Homiliarum confundendi sunt cum illa Clementis Epistola: hi enim sunt ad modum familiaris colloquii et dissertationis, neque Epistolae indolem praeseferunt. Vide paginam 12. nota 1.

Eadem traditio vigebat saeculo VI. in insula Cypro quae Barnabae natalem, martyrii lauream et tumulum dedit, quaeque idcirco memorias de sancto Apostolo diligentius servasse credenda est. Alexander qui monasticam vitam prope Ecclesiam tumulumque ipsius Barnabae saeculo VI. desinente agebat, in *Barnabae Encomio* ita ad rem scripsit.

Βαρνάβας ἐξ Αντιοχειας ὑπο του ἀγιου Πνευματος ὁδεγουμενος ἐξηλθων, διῆλθεν εὐαγγελιζόμενος τάς πόλεις πάσας καὶ χώρας, ἕως του ἑλθεῖν αυτόν εὶς τὴν μεγίστην Ρώμην. αὐτος γάρ πρὸ παντὸς ἑτέρου των του Κυρίου μαθήτων ἐκήρυξεν εν Ρὄμῃ τὸ εὐαγγέλιον του Χριστου.	*Barnab. ductus a Sp. S. digressus ab Antiochia pertransiit evangelizans urbes omnes et regiones donec pervenit ad maximam Romam: ipse enim prior omnium discipulorum Domini praedicavit Romae evangelium Christi.*

At quaeso undenam Monachus ille has de Barnaba notitias mutuatus est? Ab Clemente Alexandrino, auctore operis *Stròmatum* atque ab aliis antiquis scriptis: *ἐκ του Στρωματέως καὶ ἑτέρων ἀρχαίων συγγραμματων* [2]. Ab *Clemente*, inquit, qui sub finem saeculi secundi eruditione omnigena florebat, quique, juxta judicium s. Cyrilli Alexandrini Lib. VI. in Julianum, *apostolicis traditionibus semper adhaesit.* Hanc vero Alexandri historiam Baronius sub anno 485. *omni acceptione dignissimam, omnium consensione receptam praedicat;* Papebrochius XI. Jun. *graviter omnino scriptam.*

Cumque jam penes omnes traditio vigeret, Barnabam et Romae praedicasse, in Martyrologiis quoque ea historica notitia descripta est. En tibi Menologium (graeci malunt hanc vocem a *mense* derivatam pro qua latini Martyrologium dicunt) Basilii Imperatoris confectum anno 984., omnium graecorum antiquissimum et augustissimum, ut Cave judicat. Sub die XI. Junii sic habet:

Βαρνάβας... εν Ιερουσαλὴμ καὶ εν Ρωμῃ καὶ Αλεξανδριᾳ ἐκηρυξε το ευαγγελιον τοῦ Χριστου.	*Barnabas Jerosolymis et Romae et Alexandriae praedicavit evangelium Christi.*

Alia hujus rei documenta videas in capite sequenti.

CAPUT IV.

S. Barnabas Apostolus Ecclesiam Mediolanensem fundat.

Quod si Barnabas in Italia fuit, si Romae Evangelium praedicavit, si demum *civitates omnes et regiones* peragrans verbo Dei instituit, quid jam incredibile videatur, fuisse illum et Mediolani, quae tunc temporis nobilitate et frequentiâ hominum inter praecipuas Italiae urbes numerabatur? Talis quidem est traditio Mediolanensium; eaque antiquissima et a primis saeculis derivata.

Nam ecce tibi Auctorem nostrum initio saeculi VI. florentem. Ipse jam tunc traditionem hanc sive apud graecos sive apud latinos vetustam et firmam fuisse scribebat. *De prima*, inquit cap. I., *christianae gentis inibi* (Mediolani) *propagatione, quaecumque prisca aetas*

1 Apud Galland. Biblioth. Patrum.

2 In Prologo n. 8.

nostrae reliquit notitiae, conabor proferre. Cumque cap. III. Barnabam et Anatalonem Mediolanum fide christiana primos imbuisse narrasset: *hucusque*, ait, *de primis Ecclesiae Mediolanensis propagatoribus, ex diversis collecta utriusque linguae paginis, adnotasse sufficiat.* Jam vero quid hoc *ex utriusque linguae paginis?* Nempe: ex libris tum graecis tum latinis. Quid illud *diversis?* Porro intelligas necesse est hos libros fuisse non unum aut alterum, sed plures et varios. Neque vero illos scriptos existimes vix aliquos ante Auctorem annos: dixit enim usque a *prisca aetate* derivatos. Pariter sub finem cap. X. fidem narrationibus suis concilians protestatur: *fastidioso lectori (ut quod prius dicere debui, praepostero ordine dicam) denuntio quatenus in his quae relegit, si forte minus credulus existit, perquirat aliorum tam romanorum quam grajorum chronicarum commenta; et si consonant praesentia, non sugillet.* Haec tam aperta protestatio animadversione digna est: nam primo significat fuisse illo tempore homines non faciles et pronos ad credendum, sicuti sequentibus rudibus saeculis, octavo videlicet et nono; sed critices magisterio usos, et ad credendum morosos. Deinde, exstitisse revera commentarios et historias veteres tam graeco quam latino sermone scriptas de rebus ecclesiasticis mediolanensibus, quae omnibus nota et accepta fuerint; ex quibus Auctor notitias suas bona fide depromserit.

Etiam graecus Auctor *Chronici Paschalis* scribens anno XVII. Constantii Imp., CCCLIV. Christi, postquam LXX. Discipulos singillatim recensuit, inter quos et Barnabam eumque inter ἐπισήμους *illustriores* Apostolicorum virorum, ait: *De recensitis Discipulis LXX. agit*, ἱστορεῖ, *Clemens scriptor Libro quinto Hypotyposeon.* Item Eusebius Hist. Eccl. Libro I. c. XII. a Clementis Hypotyposibus plures de quibusdam ex illis Discipulis notitias mutuatur.

Sed heu malo fato et hae Hypotyposes Clementis et libri illi memoriaeque fere omnes perierunt. Barbarorum irruptiones, bella, vastitates, praecipue excidium a Gothis paulopost scriptam hanc Datianam Historiam urbi Mediolanensi et agro funestissime inlatum omnia ruinae et flammis dederunt.

Verumtamen reliquiae aliquae de notitiis *priscae aetatis* ad nos usque pervenerunt; quas hîc proferre, et sua luce donare in animo est.

I. Primo a graecis incipiam. Habemus de Barnabae Mediolanensi apostolatu testimonium coram Papa s. Joanne I. Constantinopoli prolatum, Consulibus Philoxeno et Probo, scilicet anno 525. Joannes enim missus est a rege Italiae Theodorico ad Justinum Imperatorem Constantinopolim; secumque habuit itineris et legationis comites Ecclesium Episcopum Ravennae, s. Eusebium Episcopum Fani, Sabinum Episcopum in Campania, aliosque duos episcopos, multosque ex Italia equites nobilissimos [1]. Ibi cum inter Papam et Episcopum urbis orta esset controversia quaedam de praeminentia cathedrae in Ecclesia [2], prolatus est ab Constantinopolitanis graecus *Commentarius de LXX discipulis Domini*, quo cathedra Constantinopolis, olim By-

1 Ex Anonymo synchrono edito a Vallesio in calce Historiae Amiani Marcellini.

2 Ex Chronico Comitis Marcellini pariter synchroni: ex Chronographia Theophanis historici byzantini: ex Anastasio in vitis Pontiff. N. LIV.: et praecipue ex *Appendice* de qua mox sermo erit.

zantii, ab Andrea Apostolo operâ Stachys unius ex LXX. discipulis fundata dicebatur antequam Roma a Petro cathedram accepisset. Hoc quidem Joannes verum esse dixit, simul et animadvertit cathedram Romae fuisse positam a Principe Apostolorum omnium, idcircoque omnibus cathedris praeeminentem esse.

Commentarius ille de LXX. Discipulis pervenit usque ad nos unâ cum *Appendice* istam controversiam describente: quae duo monumenta graece scripta postquam tot saeculis in bibliothecarum latebris latuissent, demum fere uno tempore a duobus doctissimis viris in lucem educta sunt, nempe a Carolo Du-Cange qui illa ex MSS. Regiis 2760. et 2819. eruit, et a Villelmo Cave Anglicano qui ex MSS. Baroccianis 206. et 142. accepit. Hujus Commentarii titulus est, *Συγγραμμα Εκκλεσιαστικον* etc., sive *Commentarius Ecclesiasticus de LXX Discipulis Domini, Dorothei Episcopi Tyri... usque ad Juliani Imp. tempora: qui Odyssopoli in extrema senectute tormentis pro Christo consummatus est.* Quem Commentarium *Dorotheus cum Romae esset, latina lingua scripsit, et nos in graecam vertimus brevi synopsi sive compendio, tunc cum Papa Joannes Constantinopolim venit....* Sequitur Appendix referens illam controversiam, pluresque notitias de Episcopis Constantinopolitis: « in quibus, ut monet Cave, sunt non pauca neutiquam contemnenda, quae non modo ad Synopsim hanc Dorotheanam sed et alia historiae ecclesiasticae illustranda apprime conferunt ».

In hoc Commentario tres ex LXX. Discipulis dicuntur habuisse sedem in Italia, nempe Linus Romae, Patrobas Puteolis, Barnabas Mediolani. Textus est hujusmodi [1]:

ιγ'. Βαρναβας, ὁ μετα Παύλον διακονήσας, πρῶτος ἐν Ρώμῃ τον Χριστον ἐχηρυξεν, ἐπίσκοπος Μεδιολάνου μετέπειτα γεγονώς.	13. *Barnabas, qui cum Paulo ministerio inservivit, primus Romae Christum praedicavit, deinde Mediolani episcopus factus est.*
λζ'. Πατρόβας, ὅς επισκοπος ἐν Πωτιόλοις γεγονεν.	37. *Patrobas qui episcopus Puteolorum fuit.*
λη'. Λῖνος, ὁ μετα Πετρον τον Αποστολον Ρωμης επισκοπος γεγονώς.	39. *Linus qui post Petrum Apostolum Romae episcopus factus est.*

Jam vero quanti faciendum est hoc de Barnaba testimonium? Quis istius Commentarii Auctor? Num ille Dorotheus saeculo IV. episcopus Tyri et martyr [2]? an potius Constantinopolites aliquis, qui in illius controversiae certamine commentarium hunce confinxerit ad tuendam ecclesiae patriae praeeminentiam? Veraxne, et gravis, et fide dignus habendus? Doctis talia disputanda linquo. Ego haec solummodo tamquam certa statuo.

1. Commentarius Dorotheanus certe in medium prolatus est illo anno 525. et in illa occasione. Appendix enim Commentario adnexa in quatuor MSStis supra citatis fidem indubitabilem facit: Du-

1 Editus a Du-Cange in calce Operis *Chronicon Paschale* sive *Alexandrinum.*

2 De quo in Martyrolog. Rom. fit memoria sub die V. Junii. Eum re vera fuisse episcopum Tyri in Phoenicia, et martyrium consummasse Odessopoli in Thracia sub Juliano Imper. anno 362. in summa senectute, et fuisse non solum graecis sed et latinis literis eruditissimum et de Byzantii aliorumque locorum episcopis scripsisse docet et demonstrat Henschenius in *Actis SS.* die V. Junii.

Cange autem [1], Cave [2] et Muratorius [3] rem pro certissima habuerunt.

2. Prolatus est coram Pontifice Joanne, et Episcopis, caeterisque ex Italica nobilitate viris illius legationis comitibus. Itaque credibile non est, Auctorem mentiri voluisse de illustribus Italiae sedibus coram hujusmodi testibus doctrina et patria eruditione illustribus. Nam qua fronte ausus esset, si verum non fuisset, Apostolum Barnabam Mediolani Episcopum venditare coram Joanne Romanae Ecclesiae Pontifice, coram Ecclesio Episcopo Ravennae vixdum a Mediolanensi Metropoli subductae, coram Eusebio Episcopo Fani huic Metropoli adhuc subjectae vel recentissime subtractae? Fuerit quidem ille mendax circa sedem Byzantii et circa hujus vel illius Graeciae Asiaeve Ecclesiae fundationem: attamen veritatis diligentem sectatorem debuit se praebere circa tres sedes italicas quas a tribus ex LXX. Discipulis fundatas recensuit: ne si mendax deprehensus fuisset circa res italicas, mendacii quoque circa res byzantinas in suspicionem veniret. Deinde vero nullius erat ei utilitatis mediolanensem apostolatum Barnabae falso tribuere.

3. Ecclesia graeca hanc Dorotheanam Synopsim in honore et reverentia habuit, ejusque auctoritati confisa notitias ecclesiasticas in Martyrologiis suis excepit. Vide Menologium Basilii Imperator. XVIII. Kalend. Maii, Nicephorum in Chronographia, aliosque historicos graecos. Fortasse Auctor erraverit recensendo inter LXX. Discipulos hunc vel illum episcopum vel fundatorem; at quomodo potuerit errare vel fallere tot Ecclesias attribuendo eis episcopos quos nunquam novissent? Nimis sollicitae erant singulae Ecclesiae pro conservandis episcoporum catalogis, dypticis, memoriisque [4].

Itaque jam ab anno 525. traditio de Barnabae ad urbem nostram adventu nemine contradicente, vigebat: immo ex hoc ipso conjicere licet jam tum vetustam et late apud graecos latinosque diffusam fuisse.

II. Eamdem traditionem exceptam conservatamque reperimus ab alio graeco collectore. Is est Hippolytus Thebanus qui vixit circa annum 950. cujus ad nos plura pervenerunt *Fragmenta* chronologica, critica, historica. Fragmentum XI. continet catalogum LXX. Discipulorum Domini et Ecclesiarum quas vel fundaverunt vel regendas susceperunt: quem Hippolyti Catalogum Combefisius illustravit, doctissimus autem Gallandus in praestantissima sua *Bibliotheca Patrum* [5] intulit. En Hippolyti verba:

Βαρνάβας ἐπίσκοπος Μεδιολάνου	*Barnabas episcopus Mediolani.*

Haec testimonia, haec traditio Graecorum magni quidem facienda. Nam Bar-

1 Du-Cange, loco citato.

2 Hist. Literaria Scriptor. Ecclesiast. sub artic. *Dorotheus Tyrius.*

3 Rer. It. S. in praef. Op. *De Situ Civit. Mediol.*

4 Ita sentit Papebrochius, Act. SS. XI. Junii, pag. 446.

5 Tom. XIV. Admonendum tamen puto, ipsimet sancto Hippolyto martyri et episcopo saeculi tertii eruditione et scriptis celeberrimo adscribi a quibusdam similem Catalogum. Ita enim fert antiquus manuscriptus Codex Regius (apud Du-Cange in Selectis ad Chronic. Paschal. sive Alexandrinum illustrand.) signatus II. *mdcccx.* fol. 257. in pluribus ab Dorotheana Synopsi diversus. Ita pariter ferunt plures Catalogi Latini ex graeco antiquitus translati. De quo Hippolyto episcopo Portus Romani in Arabia ast prope Romam martyrium passo vide Cave *Hist. Scriptor. Ecclesiasticor. tum Acta SS.* Bollandi ad 22. Augusti.

nabas e graecis regionibus ortus graecis discipulis plerumque usus est, et in insula graeca sicut martyrium strenue consummavit, ita gloriam suam posthumam revelare dignatus est. Siqua igitur regio memorias de Barnabae vita et morte servasse putanda fuit, ea profecto Graecia erat.

III. Nec tamen desunt monumenta latina. Primum omnium in medium prodeat Epigraphe quam s. Mirocles Antistes vel Praestes Mediol. saeculo IV. saxo inscriptam adposuit imagini sancti Anathalonis. Eam nobis servavere duo viri doctissimi et antiquitatum seduli sectatores, nempe Andreas Alciatus Jurisconsultus mediolanensis et Scaliger gallicus, heterodoxus, qui per Italiam iter fecit, et tot antiqua monumenta collegit. Exemplar ab Alciato scriptum transmissum est Romam ad patruum Cardinalem Franciscum Alciatum et ab isto ad Baronium qui in Notis ad Martyrolog. Romanum illud typis edidit sub die 25. Septembris. Exemplar autem Scaligeri in nonnullis variatum ab illo Alciati transmissum est ad Gruterum qui illud typis vulgavit sua in celeberrima *Collectione Epigrapharum Roman.* pag. MCLXI, 6. Est autem hujusmodi juxta Scaligerum.

Mediolani incisum lapidi juxta imaginem s. Anatholonis EPI.

	Variantes ex Alciato
D · (domno) ANATHOLONI · ATTICO · SECVNDO · EPO	ANATHALONI . . . EPISCOPO
PETRI·HOSPES·[1] SANCTEQ·ANATHOLON·DOMNE . PROBATE	SANCTAEQ . ANATHALON
ATQVE . IDEM · SOCIVS · BARNABAE · APOSTOLICI	
QVI · MEDIOLANI · VERBI · MYSTERIA · TRADENS	
TE · IVBET . AGNATOS · VISERE · CENOMANOS	
DVM·TVA·MEMBRA·METV·REGIDIS·SVBDVCTA·TYRANNIS	RIGIDIS
BRIXIA · VICINO · DETINET · IN · LOCVLO	
HIC·TITVLVM·ET·PICTO[2]·VENERANDOS·PARIETE·VVLTVS	
MIROCLIS · REDDIT · PRAESTITIS · ALMA · FIDES	MIROCLES REDDIT, PRAESTITIT ALMA FIDES.
MIROCLES · EPISCOPVS	

Baronius autem loco citato sic praefatur: « Libuit hîc describere pervetustam inscriptionem s. Miroclis ejusdem civitatis episcopi de s. Anathalone, in lapide incisam juxta ejus imaginem, his versibus.... Accepimus ex manuscripto commentario Andreae Alciati , quem scripsit de rebus patriis, nondum edito:

1 Vide pag. 18. notam 4. ubi explicatur quando fuerit *hospes* Petri.

2 Usos esse christianos pingere sanctorum imagines historiasque sacras etiam primis tribus saeculis testatur Eusebius Hist. Eccl. VII. 18. affirmans imagines Jesu Christi, tum Petri et Pauli pictas fuisse a primis temporibus et σωζομενας inter tot turbines persecutionum: idem testatur s. Basilius Epist. 360. ad Julian. Apostatam: idem Prudentius in Hymno de s. Hippolyto mart. Catacumbae autem Romanae usque in hodiernum diem servant imagines B. Virginis, s. Petri, s. Laurentii etc. primis saeculis parietibus depictas. Atque hae sacrae picturae episcoporum consilio et curis fiebant, ita ut nihil fidelium conspectui et venerationi adponebatur quod non verum et sanctum fuisset. Haec Tillemontio dicta sint.

erat apud Illustrissimum ac R. D. Franciscum Alciatum S. R. E. Cardinalem ».

Hanc Epigraphem vere exstitisse nobis auctores sunt Alciatus et Scaliger, qui cum post Alciatum eam exscripserit, pluribus lectionibus ab Alciatina variantibus, manifeste indicat se illam non ab Alciato mutuatum esse, sed ab lapide autographo depromsisse, diversimode legendo.

Authentiam ejus probat etiam stylus plane conformis versibus sacris Patrum saeculi IV., praecipue Damasi Papae, cujus carmina lapidibus commendata ex terrae latebris educta fuerunt cum jam diu Alciatus e vivis excesserat, scilicet sub initio saeculi XVII [1]. Hujusmodi sunt phrases, DOMNE PROBATE: VERBI MYSTERIA TRADERE: BRIXIA VICINO DETINET IN LOCVLO: TITVLVM REDDIT: REDDIT ALMA FIDES. Notare autem juvat vocem DOMNE, qua honoris causa appellatur Anathalon: erat enim commune illa aetate episcopos ita appellare: *Domino Syricio Papae Ambrosius*, Epist. 42. cl. 1. *Dominis episcopis per Æmiliam constitustis Ambrosius Episcopus*, Epist. 23. cl. 1. Demum mirâ consonantiâ hoc titulo Anathalon honoratur etiam in Catalogo Episcoporum Brixiensium saeculo XII. confecto [2]: *Primus Domnus Anathalon episcopus sanctus*, quo titulo non gaudent caeteri episcopi sequentes utut sancti et ipsi. Latini autem indifferenter utebantur voce *Dominus* et *Domnus* [3]. Pariter considerandus est ille versus BRIXIA VICINO DETINET IN LOCULO: quo illa antiqua consuetudo significatur sepeliendi mortuos extra urbium moenia. Nec tamen indicatur *locus loci* ut aiunt: nondum enim notus erat, etsi certum esset Anathalonem prope Brixiam occulte conditum fuisse. Deinde saeculo circiter IX. vel X., ex notitiis, credo, in lucem allatis, patuit illum jacere *apud Brixiam in monte s. Florani:* deinde autem saeculo circiter XI. vel XII., innotuit eum *jacere in Ecclesia sancti Florani*, ubi demum anno 1472. repertus fuit et in lucem eductus. Vide pag. 16. notam 4., et pag. 17. notam 4. [4].

Neque primi illi qui Epigraphen edidere, de authentia ejus dubitaverunt, non Alciatus, non Baronius, non Scaliger, non Bescapè Carolus de patria ecclesiastica historia tam bene meritus; neque Gruterus in suis *corrigendis et animadvertendis;* neque Eduardus Holtenius, qui *Variorum Correctiones et Animadversiones* ad Gruteri Epigraphas

1 Vide Baronium Annal. Eccles. anno 384. XXI. Profero ex. gr. ex Damaso carmina aliqua, quae ut testatur Baronius ipse, *diutius latuere* et circa annum 1600. *in lucem allata sunt.*

Martyris hic tumulus, magno sub vertice montis,
Gorgonium retinet, servat qui altaria Christi.
Hic, quicunque venis Sanctorum limina quaerens,
Invenies vicina in sede habitare beatos,
Ad coelum pariter pietas quos vexit ovantes.
Damasi Episcopi.

. . . Damasus Rector titulos . . . reddit

Materiam . . . repperit alma fides.

Antistes Damasus picturae ornarat honore
Tecta . . . .

2 Vide pag. 16. notam 2.

3 Ex. gr. STATIÆ DOMNÆ MEÆ SANCTISSIMÆ. Apud Rubeum *Monumenta Brixiana*. Consule Lexicon Forcellinii.

4 Qui plura cupit de hac Epigraphe, scilicet de ejus authentia, de latinitate, de picturis quas innuit, etc. adeat Dissertationem meam, *Sulla Fondazione della santa Chiesa Milanese attribuita all'Apostolo s. Barnaba Ricerche storiche ecc.* Milano 1844., quae etiam Ephemeridi Mediolanensi *Amico Cattolico* T. VII. inserta est, tum aliam Dissertat. in eadem Ephemeride T. VIII. *Esame degli Autori più illustri* (Mabillonii, Tillemontii, Papebrochii, Muratorii) *riputati contrarj alla credenza che s. Barnaba Apostolo abbia fondata la Chiesa Milanese.*

collegit, neque Forcellinus *Lexic.* in voce *Cenomanus.* Itaque lapis ille optima necesse est prae se tulerit sincerae antiquitatis indicia. Non enim credibile est viros tales in errorem induci facile potuisse. Deinde vero quis vel cur epigraphem illam mendaciter finxerit, et supposuerit? Num Brixienses pro vindicando sibi corpore s. Anathalonis? At res jam ab anno 1472. pro Brixiensibus judicata erat: ipsi veteres nostri Catalogi Mediolanensium episcoporum Brixiensi Anathalonis sepulturae favebant [1]. Attamen si locus fingendo et simulando fuisset, is Brixiae fuisset non Mediolani; atqui *Mediolani* lapis ille erat, ut testantur Baronius et Scaliger. Verum, inquis, ubi nunc ille lapis? Rogo et ego, ubi sunt sexcenti illi qui a collectoribus publicati sunt, quique omni authentiae signo ornati erant? Vix pauculi destructioni supersunt [2]. Saepe vero lapides in tenebras et latebras casu eunt, ex quibus rursus in lucem casu prodeunt, denuo eôdem redituri. S. Ambrosius, inventis ossibus ss. Gervasii et Protasii mm. ait: *Nunc senes repetunt se aliquando horum martyrum nomina audisse, TITVLVMQVE legisse* [3]: at vero *titulus* ille jam non erat. Credibile est igitur s. Miroclem *Praestitem* sive Antistitem Mediolanensem, reddita Ecclesiae a Constantino pace, titulum lapideum martyribus illis posuisse [4]: sicut certum est hanc Anathaloni epigraphen inscripsisse: ut quoniam caeterorum antecessorum ossa possidebat urbs nostra, Anathalonis *episcopi primi* saltem *titulum et venerandos vultus pariete pictos* haberet in Ecclesia, ut puto, *Concilii Sanctorum* [5] *ubi venerabiliter colebatur sancta ejus depositio.*

IV. Sequuntur Carmina quaedam de Barnabae adventu et de ejus Fonte baptismali s. Protasio episcopo Mediolanensi saeculi IV. attributa, de quibus vide paginam 20. notam 2.

V. Hic locus esset producendo nostro Datianae Historiae Auctori, initio saeculi VI. florenti. At ea quae ipse testatur tamquam a prisca aetate accepta, unusquisque legere potest suo loco. Deinde abs re esset afferre auctoritatem illius pro cujus tuenda veracitate haec Dissertatio instituitur.

VI. Inter monumenta latina recensenda est Homilia sive *Sermo* qui Bedae venerabili, anno 735. defuncto, jure ac merito tribuitur. Titulus est: *Sermo legendus in Natali s. Barnabae Apostoli,* quem Papebrochius excerpsisse se dixit ex codice scripto *in Gallia ante annos septingentos* [6], scilicet circa saeculum X. vel IX. Eumdem Sermonem ex vetustis manuscriptis Boninus Mombritius Mediol. edidit anno 1479. sub titulo, *Passio Barnabae Apostoli.* Incipit vero hic Sermo: *Redemptor et Salvator noster:* et postquam de Barnaba retulit ea quae in Actis Apostolorum scripta sunt, pergit dicens: *Caetera quae sequuntur in aliis ejus Actibus authenticis* [7] *reperiuntur,*

1 Vide pag. 16. notam 4.

2 Ubi est lapis cum epigraphe *s. Latini* quam attuli pag. 71., quamque authenticam strenue tuetur Labus *Fasti della Chiesa nelle Vite de' Santi* Vol. III.? Ille easdem subiit vices ac iste: eadem igitur defensio valeat pro utroque.

3 Epist. 22. ad Sororem.

4 Papebrochius, *Act. SS.* ad diem 19. Jun.

5 Vide pag. 17. notam 2.

6 Act. SS. XI. Jun.

7 Quaenam fuerint ista *Acta authentica* non audeo divinare. Hoc unum dico, narrationem Bedae et verbis et sententiis convenire adeo cum narratione Datianae Historiae, ut evidens sit ex eisdem

de quibus aliqua breviter hîc inserenda duximus. In diebus apostolatus sui beatus Barnabas Apostolus, comitantibus secum fratribus Romam venit cum nondum Petrus et Paulus ibi fuissent: et ibidem primus Christi evangelium per dies aliquot praedicavit. Cumque ipso illic existente de plerisque locis et civitatibus mentio haberetur, audivit inter alias nominari imperialem et celebratam civitatem Mediolani. Atque illuc proficiscens festinare disposuit, assumpto secum sancto Dei viro Anathalone comite fidelissimo cum aliis quibusdam aeque sociis in ministerium Evangelii. Cum igitur Mediolani beatus Barnabas Christi Evangelium praedicaret, et insistens praedicationi operam daret, cooperante Domino magnam illorum civium multitudinem in brevi convertit, et ad fidem veritatis adduxit.

VII. Sequitur *Oratio* sive *Sermo* s. Benedicti episcopi Mediolanensis dictus Romae anno 710. coram Pontifice Constantino pro conservando metropolitico suo jure super Ecclesiam Papiensem: de cujus Orationis auctoritate et epocha vide Dissertationem I. pag. X. Hac Oratione Benedictus ante omnia argumenta statuit traditionem de apostolica Ecclesiae Mediolanensis fundatione dicens: *quae beati Barnabae doctrinis et miraculis floruit.*

VIII. Demum asserendi essent plurimi saeculi XI. mediolanenses historici, qui omnes tamquam rem nulli dubio obnoxiam s. Barnabae adventum narrant. Loquor Landulphum Seniorem in *Hist. Mediol.*, Arnulphum in *Hist. Mediol.* capite XI. lib. V. apud Graevium Thesaur. Antiquit., et Historiar. Italic. T. IV. Part. I., et apud Murat. Rer. Italicar. Script.: tum Beroldum in *Catalogo Episcopor. Mediol.* MSS. Bibliothecae Metropolitanae: et apud Murat. Rer. Ital. Script. T. I. Parte 2.: aliosque. Ego tamen brevitatis causa unum profero Landulphum Seniorem in fine Lib. I.

Rogo Deum qui huc misit
Barnabam Apostolum
Postea et qui direxit
Inclytum Ambrosium
Det mihi suave loqui
Nostrorum dissidium.

IX. Cum historiis mediolanensibus consentiunt historiae et monumenta aliarum Ligurum Ecclesiarum: tota enim Liguria Barnabae acceptam refert fidem. Blasius Rubeus Cremonensis qui anno 1599. scripsit *Tabulam Diptycam* episcoporum Cremonensium testatur se prae manibus habuisse antiquissimos codices Archivi Capitularis, nempe Menologium exaratum anno 1266. ab Oddo de Summis, Menologium exaratum ab Aldo primicerio anno 725., tum vetustissimum Episcologium Cremonense, in quibus Barnabae adventus pro re certissima asserebatur: qui codices una cum Archivo ipso, saeculo XVII., incendio perierunt. Adde magnam crucem argento fabrefactam anno 1060. icunculis ornatam, quarum una Barnabam repraesentabat cum subscripto versu:

Quam docuisti hîc idem custodi Barnaba fidem.

Haec ex doctissimo A. Dragoni Vicario Capitulari Cremonensi accepi. Carolus Bescapè *De Metrop. Mediol.* prolato veteri monumento Albingaunensi, probat Barnabam per regionem Ligusticam praedicasse.

antiquis monumentis depromptam fuisse. Vide in calce operis pag. 101. integram Homiliam, tum argumenta quibus demonstratur esse opus Bedae genuinum.

X. Finem faciat Martyrologium Romanum. *VII. Kalend. Octobris: s. Anathalonis episcopi qui b. Barnabae Apostoli discipulus, in ejus locum Ecclesiae Mediolanensis episcopus successit.*

Traditio itaque de Mediolanensi Barnabae apostolatu antiqua est et ad *priscam aetatem* pertingens, et continuata serie monumentis tam graecis quam latinis confirmata. Quae cum ita sint et ipsa authentica habenda est, et veracissimus censendus est Auctor Datianae Historiae qui eam nobis transmisit.

CAPUT V.

Difficultates contra Mediolanensem Barnabae Apostolatum objectae expenduntur.

Verumtamen contra antiquitatem et authentiam hujus traditionis multa opponuntur.

Ac 1. Nullum sancto Barnabae cultum Ecclesia Mediolanensis per tot saecula praestitit: non enim illum in Canone Missae, non in litaniis, non in calendariis, non in sacra liturgia commemorabat. — Hoc quidem verissimum est: non tamen Mediolanensi ejusdem apostolatui quicquam officit. Etenim is erat mos antiquus Ecclesiarum omnium ut sacrum cultus honorem solis impenderent martyribus, iisque plerumque solis martyribus, quorum corpora suo in gremio possiderent [1]. Quare Rithmus Mediolanensis saeculi VIII. commemorans Sanctos urbis nostrae praecipuos, eos solos recenset *quorum cadavera ibi requiescunt, ibi excubant.* At vero Barnabae corpus longe jacebat in insula Cypro; immo latebat adeo ut neque Cyprii ipsi tanti pignoris conscii facti sunt nisi quum Barnabas ipse locum divinitus revelavit anno circiter 478. Zenone Imperatore. Nam discipuli occultissime illud condiderant et, persecutione saeviente, dispersi sunt. Quod cum lateret, nulla Ecclesia neque latina neque graeca, excepta Cypria, cultum sancto Apostolo exhibuit [2], donec sub saeculo VIII., increbrescente illius revelationis fama, coepere Ecclesiae tam Orientis quam Occidentis sacris honoribus martyrem apostolum decorare.

Inter primas Occidentis fuit Ecclesia et provincia Mediolanensis judicio Papebrochii ipsius. Etenim liturgicos libros habemus saeculi IX. et VIII. qui Barnabae sacrum cultum deferunt. Tale est Kalendarium Veronense Bibliothecae Canonicorum saeculi IX. ineuntis, ubi legitur: *III. Idus Junii Barnabae Apostoli:* tale pariter est Sacramentarium scriptum initio saeculi VIII., Bobiensis Coenobii, a Mabillonio *Musaeum Ital.* editum, ubi in Canone Missae *Barnabas* commemoratur: Verona autem et Bobium ad hanc metropoliticam provinciam aliquando pertinuerunt. Demum in Missali saeculi IX. Monasterii Clivati in collibus Mediolanensibus siti habetur Missa de s. Barnaba [3]. Adde, urbem nostram jam ab anno 1256. ex tenebris Ecclesiae Naborianae eduxisse cineres et caput s. Barnabae a multis saeculis recondita, et tamquam reliquias authenti-

1 Vide Ruinart, *Acta Martyr. Selecta* in Praef. qui de hac praxi ex professo tractat.

2 Papebroch. Acta SS. XI. Junii.

3 Sassi, *Vindiciae de Adv. Mediol. S. Barnabae.* cap. VIII. Haec Mabillonio dicta sint qui cum reperisset unum codicem liturgicum Mediolanensem saeculi XII. Barnabae commemoratione destitutum subdubitare visus est de Barnabae Mediolanensi apostolatu. *Musaeum Italic.* t. I. p. II. *Observationes de Ritu Ambrosiano.*

eas recognovisse [1]. Omitto codices saeculi XI. et X. quorum et apud nos copiosus numerus superest, caeterasque sequentes hujusmodi memorias.

II. Saltem in vetustis episcoporum Mediolanensium Catalogis Barnabas inscribi debuisset: atqui, omisso Barnaba, incipiunt ab Anathalone. — Atque id quidem recte: nam Anathalo fuit primus Episcopus *residens:* Barnabas e contra apostolum quidem et episcopum Mediolani se gessit, at cathedram hîc suam non tenuit sed peregre profectus est evangelizans alias civitates et populos. Hoc modo et Catalogi Ecclesiarum Orientis quas ex ipsis Actis Apostolicis constat fundatas ab Apostolis, non Apostolum in capite praeseferunt, sed illum discipulum quem Apostoli episcopum residentem abeuntes constituerunt [2]. Itaque et Auctor Datianae hujus Historiae postquam Ecclesiam nostram a Barnaba conditam diserte cap. III. dixerat, hunc titulum capiti IV. facit: *Depositio sancti Anathalon episcopi Mediolanensis primi.*

III. At vero s. Ambrosius nullam de Barnaba fundatore mentionem fecit. — Ast neque de Anathalone, neque de Cajo, neque de Castritiano, neque de Mona, neque de Materno confessore, neque de illustri martyre Calimerio antecessoribus suis. Cur? Vel quia scripta quae de illis loquerentur perierint, sicut pleraque tanti Doctoris perierunt; vel potius quia Ambrosius sollicitus de rebus dogmaticis et moralibus, sollicitus de gloria Ecclesiae universalis parum curaverit res et gloriolas istas municipales. Etenim vera gloria cujusque Ecclesiae non in eo est, quod a Paulo vel a Joanne fundata fuerit, sed quod a Christo. *Quid enim est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis* [3]. Loquitur quidem Ambrosius de Ecclesia Romana deque ejus institutore Petro: ast eam ob causam quod et Ecclesiae illi et Episcopis ejus auctoritas et jurisdictio singularis a Deo concessa est, promissionesque speciales factae. At vero Mediolanensi Ecclesiae nullam praeminentiam vindicat et satis gloriosam reputat cum illam Ecclesiae universalis Christique Jesu membrum considerat.

Verumtamen in Sermone *De Basilicis tradendis*, commemorato responso Nabuti vineam patrum suorum Achabo regi tradere recusantis, inquit: *Absit ut ego tradam haereditatem patrum, hoc est haereditatem Dionysii qui in exilio*

1 Traditio autem Mediolanensium fert, *Apostoli Barnabae cineres* (non corporis sed rogi, antiquitus huc translatos et tamdiu latentes) *repertos fuisse in Ecclesia Mediolanensi tempore s. Benigni non sine magna omnium admiratione.* Ita in Op. *Successores s. Barnabae in Eccl. Mediol.* ex Biblioth. Vaticanae MSStis olim Card. Sirleti. Quam quidem inventionem fortasse cecinit Ennodius Epigrammate 86 *De Venerabili Benigno* Episcopo, disticho secundo, quod ego sic legerem:

Cana fides hominum dum narrat, detegit Artus:
Nil loquitur casu Pignoris attonitus!


Artus pro sacris Reliquiis usurpat Ennodius Epigr. 20. tum etiam 130. *Canus* pro antiquus Epigr. 78., et 79. *Fides* pro credentia, *Pignora* pro Reliquiis scriptores omnis aetatis. Hoc modo ex versibus illis sensus elucet: nam Ennodius adeo obscurus est, ut in legendo saepe plus sensui quam manuscriptis obsequi necesse sit. Hoc de Cineribus: de Capite vero et de translationibus Reliquiarum consule Papebrochium ad XI. Junii. Addo hoc unum, Bernardinum Corium *Historie Milanesi* P. I. affirmare, Barnabae Reliquias in Insubria jam tempore Erulorum, scilicet saeculo VI., fuisse.

2 Le Quien, *Oriens Christianus.* Pariter Catalogus Episcoporum Romanorum quem ex Codicibus Corbejensibus edidit Mabillonius *Analector.* t. III.; tum Carmen III. Tertulliani *in Marcionem* dicunt quidem Petrum fundasse cathedram Romanam sed tamen Linum fuisse episcopum primum.

3 I. Cor. III. 4.

in causâ fidei defunctus est, haereditatem Eustorgii confessoris, haereditatem Myroclis, atque omnium retro fidelium Episcoporum. Jam vero hic erat locus nominandi prae caeteris Apostolum Barnabam si Ecclesia Mediolanensis Barnabae haereditas fuisset. — At, quaeso, ipse titulus hujus Sermonis quaestionem solvit. Agitur enim de *Basilicis Tradendis* et speciatim de *Basilica Portiana,* non autem de Ecclesia morali, non de fide christiana. Basilicam autem Portianam Castritianus tertius post Barnabam condiderat, sequentes autem Episcopi et praecipue [1] Myrocles, Eustorgius, Dionysius meliorem in statum reduxerint; ita ut basilica illa jure ac merito *haereditas patrum* appellari potuerit. Neque aliter Ambrosii verba accipi possunt. Rem narrat ipse in Epistola ad Sororem, tum in hoc Sermone *De Basilicis.* Justina Imperatrix arianae haereseos patrona acerrima catholicis auferre et arianis tradere volebat *Basilicam Portianam, hoc est extramuranam:* quâ negatâ, petebat *basilicam novam hoc est intramuranam, quae major est,* nempe metropolitanam ubi nunc *il Duomo. Trade basilicam, debeo et ego unam basilicam habere . . .* petebat *vel ut basilicâ Portianâ cederemus,* et nihil minarum et terroris praetermisit ut voti compos fieret. Sequenti anno iterum persecutio renovata est. *Aiunt: ergo non debet Imperator unam basilicam accipere ad quam procedat et plus vult Ambrosius posse quam Imperator?* Ambrosius restitit dicens, *quod mei juris est libenter offero: templum Dei non possum tradere quod custodiendum non tradendum accepi . . . . Auxentius mihi basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus . . . . Absit ut ego tradam haereditatem patrum meorum . . . . Prius est ut animam mihi quam fidem auferat:* fidem, nempe fidelitatem in custodiendo deposito, in servanda basilica quam ab Antecessoribus suis acceperat. Rogo quid haec controversia cum Barnaba? quid Apostolus iste cum Portiana? Haec fuse explicasse juvat: nam haec objectio primum a Mabillonio *Musaeum Italic.,* licet quasi praetereunter, opposita, a sexcentis renovata est qui rem, ut puto, nihil ad examen vocantes, in verbo Mabillonii recinuerunt.

1 Vide caput XII. pag. 40. de fundatione hujus Basilicae Portianae.



MONITUM

In notis citatum reperies unum vel alterum caput Dissertationis I. eaque non convenire cum capitibus Dissertationis ipsius. Cur hoc? Quia Dissertatio ista manuscripta quidem fuit ante notas, ast typis commissa post notas jam impressas: cumque committeretur, opportunum visum est, ut fit, addere, demere, invertere. Hoc, Lector, boni consulas, precor.



Specimen Manuscripti Biblioth. Ambrosianæ C. 133. P. inf.

De aduentu barnabe apli

CELEBRATIS DNS IHS SUSCEPTE PRONOBIS PASSIONIS·
ac resurrectionis suę mysteriis. serenatisq; discipulorum
animis. quos furens aduersus magistrum turbo per
culerat. rediit adpatrem. acuius maiestate diuinitate
atq; aeternitate numquā decesserat. repraesentans
aspectibus ipsius. glorificati presurrectionē sui corporis
cicatrices. Et qm

depositio sci anatalon episcopi mediolanensis prim

ANATELON IGITUR EPISCOPATUS APICEM SUI MAGISTRI
Ascissimi barnabae uice. uelut xpo donante suscipi
ens. apostolicis fe formauit operib;. probisq: actib; adorna
uit: Erat qppe

Milano, Privta e Premta Litog. Pagani

ANONYMI MEDIOLANENSIS

AD S. DATIUM EPISCOPUM

LIBER

HISTORIAE ECCLESIASTICAE MEDIOLANENSIS

VEL

DE ADVENTU S. BARNABAE APOSTOLI

ET DE PRIMIS SEX EPISCOPIS MEDIOLANI

PROŒMIUM [1].

De difficultate scribendi, ut par est, hanc historiam.

Plurimos tam graecorum quam latinorum fandi copia et rerum solertia praeditos, Veterum nostrorum [2] scriptores extitisse gestorum, haud dubium erit sicui in rimandis antiquariorum tomis agilis ingenii capacitatem, meditandique in his assiduitatem propensior cura suppeditat. Chronographorum equidem, ut opinor, alii praesentis solum causa emolumenti, vel inanis philosophiae studiis incitati, magnanimorum facta seu dicta virorum, platonicis quodammodo bullis attenuando magis quam ampliando, faventis sibi temporis provocasse rumores, atque vulgacis memoriae titulos posteris reliquisse gavisi sunt. Alii autem non solius tantum posteritatis intuitu id sibi operis extorsisse patenter indicarunt, dum se clarorum ingenia meritorum (quorum non mediocre foret, si latuissent praeconia, detrimentum) schedulis saltem

1 *Proœmium* deest in antiquissimo MSS. Ambrosiano cujus primae paginae nunc periere. Illud profero ex apographo Michaelis Pizzolpassi anno 1438 exarato. Auctor passim imitatur S. Ennodium jam mediolanensem diaconum postea episcopum Papiensem qui paucos ante annos eloquentiae laude floruerat; mortuus quippe est Valerio Consule, scilicet anno Domini DXXI. In hoc autem Proœmio multa ex illius praefatiuncula ad *vitam S. Epiphanii Ticinensis* decerpsit, nec sententias solum sed et plura verba.

2 *Veterum nostrorum gestorum.* Asserit plurimos fuisse qui scripserunt *gesta Veterum nostrorum*, nempe Ligurum, Mediolanensium. Supplevi *nostrorum* ex S. Epiphanii loco citato ubi legitur: *res bene gestæ Veterum nostrorum*, inde enim phrasis evidenter deprompta est. Alioquin sensus esset nimis vagus et inconcinnus.

vilibus [1] indidisse, ac victuris deinceps seculis aemulanda proposuisse professi sunt. Hinc factum est, ut res mirabiles ac non sine maximo cumulo laudis gestae, proferentium accepere facultate virtutem. Si qua nempe, de excellentioribus ad explicandum gesta, inops verborum vena praesumpsit emanare, delituere; aut in totum alluvione temporum abolita deperiere notitiae, aut vilibus dedecora soloecismis, deformiora quam decuit ad posteros devenere. Fit vero nonnunquam ut fide carens cumulus praerogativam dissipet laudum, et eis tantum decerpat gloriae quantum plus justo aliquid falsitatis adjecerit [2].

Quorsum ista? quandoquidem amplitudinis vestrae, o beatissime Praesul [3], ... religiosissimo jussu solicitor, et evidentis imperii catena constringor, ut de Viris Apostolicis, et omni laude dignissimis Italorum [4] Metropolitanae Sedis Antistitibus, quam Deo auspice, ac non sine maxima suae gratiae dispensatione in praesenti turbine [5] Pastor probaris insidere, (quo facile sit ac perspicuum, ad culturam ecclesiasticae disciplinae et fuisse egenitum et esse provectum) ab exordio, quo christianitatis nomen eo loci satum est usque ad id temporis, in quo per vestri praesentiam, Christi Domini gratia ad magnum Ecclesiae suae incrementum propitiata resplenduit, Libellum, vestri praecepti instigante studio, cudere debeam. Sed ego in tam enormis molem ponderis qua fronte ausim vel oculos impudens injicere, qui non solum viribus exsum cunctis imbecillior, verum etiam adeo exilis ingenii paupertate coarctor, ut torpenti gravatus socordia vix ad ipsa scholasticorum [6] primordia caliginosum quiverim attollere supercilium? Etiam si aliqua forte ex eorum studiis praelibaveram, diuturni memet temporis desuetudine confiteor amisisse [7]. Cum sit ergo mihi sermo incultior, adeo

1 *Schedulis vilibus.* Id quidem de se humiliter scriptores fuisse praefatos autumandum.

2 *Fit vero nonnumquam.* Haec sententia, ut et pleraeque antecedentes, ex S. Epiphanii loco cit. desumpta est.

3 *Praesul.* Hunc Praesulem fuisse S. Datium Episcopum mediolanensem satis, ut opinor, demonstratum est in Dissertatione I. Fortasse hic erat inscriptum hujus Praesulis nomen; sed vel amanuensium incuria vel temporum vitio ita corruptum fuit, ut Michael Pizzolpassus spatium litteris vacuum reliquerit; Muratorius autem legerit quidem *Anatalonis*, sed vocabulum depravatum judicaverit atque nihili fecerit.

4 *Italorum Metropolitanae sedis.* Ut in re civili ita et in ecclesiastica Mediolanum fuit metropolis Italiae, id est Italiae superioris, usque ad saeculum septimum. Auctor itaque ante VII. sæculum scribebat. Consule Diss. I. c. VII. n. II.

5 *In praesenti turbine.* Anno DXXXVI. impius rex Gothorum Theodahatus, occisa uxore Amalasunta, in delicta praeceps, et circumventus a Graecorum armis, furere coepit in catholicos, episcopos praecipue.

6 *Scholasticorum.* Usquedum latina lingua floruit, haec vox significavit, sicut in hoc loco, homines litteratos, rhetores, oratores, saepe etiam discipulos qui eloquentiae in scholis dabant operam. At vero a medio aevo, alio sensu eos indicavit qui philosophiae aristotelicae potissime obsequebantur.

7 *Aliqua ex his studiis praelibaveram... diuturni temporis desuetudine.* Prima verba auctorem hominem doctum declarant, et idcirco ab Archiepiscopo ad has scribendas Vitas excitatum, altera jam senescentem.

illustrium aspectus Virorum amplius ad cachinnum, quam provocat ad legendum. E contra autem si tanti Viri non paream jussis, obstinatae inobedientiae absque dubio naevum incurram. Horresco referens, quae me turbella [1], qui pavor invaserit. Nam cum metior pusillitatem meam, in tantum fit impositi mihi operis materies altior, ut poene aequale videatur ita hanc me posse subvehere, sicut digito coelum tangere.

Fecit quidem hujuscemodi textum de Episcopali Urbis Romanae Catalogo famosissimus Papa Damasus [2] ejusdem Ecclesiae, hortante ac flagitante peritissimo sacrae Scripturae interprete Hieronymo, qualem ipse pridem de Viris Illustribus naviter ediderat. Verum sicut nos temporis sejungit disparilitas, sic quoque mea, et illorum longe dissimilis habetur conditio. Illi sedenim ex ingentibus generosae linguae fluentis ingentes protulerunt salutiferis imbribus amnes. At ego, cui de pauperrimo stillicidio vix una tamdem aliquando stilla decurrit, qua temeritate post ingentia profundorum gurgitum flumina, hoc est Nilum B. Hieronymi, Tiberimque Damasi, siccos velim cursus extendere? Quia igitur nec virium mihi tantarum mensuram adesse video, nec inlati praecepti obsequium subterfugere queo, quamvis cum verecundiae nubilo, (quia consultius fuerat talia mirari, quam loqui), aggrediar quidquid, propitia divinitate, vestra praeceperat Sanctitudo, illorum continuos expostulans interventus, pro quorum illud devotione scribendum mandastis [3]. Et licet vobis cum mei discrimine pudoris obedientiam, illisque, de quibus digne fari nequeo, impendam tantillus injuriam; quia tamen flagrantis vestri ardoris nutu,

1 *Turbella.* Vox Plautina.

2 *Fecit quidem .... Papa Damasus.* Alludit ad *Vitas Pontificum Romanorum* quae sub Damasi nomine circumferuntur. Prima harum Vitarum editio quae desinit in Liberio, facta est circa annum 366, et probabiliter ab ipso Damaso Liberii successore. Altera editio quae desinit in S. Felice IV. facta est anno 530, nempe circa tempora nostri Auctoris; istaque complectitur primam editionem eamque auget et amplificat. Haec secunda, ut refert Franc. Blanchinus *Praefat. in Vitas Pontiff. Rom.* N. 9: et N. 15 prodiit cum duabus Epistolis, una quidem S. Hieronymi hortantis Damasum ut gesta Pontificum brevi compendio collecta ad se mitteret, altera vero Damasi respondentis *mittere se gesta Pontificum quae potuit reperire.* De quarum authentia consule Blanchin. op. cit. et Ciampinum in *Examine Libri Pontificalis.* Equidem antiquissimae sunt; quippequae, teste Lambecio, *Commentarior.* L. 2. jam a medio seculo VIII. passim receptae erant. Evidenter patet, Agiographum nostrum ab Archiepiscopo Mediolanensi ad Vitas istas conscribendas impulsum fuisse exemplo Damasi, cujus tunc *Vitae Pontificum Romanorum* in vulgus prodierant, anno scilicet DXXX una cum duabus illis epistolis. Consule Dissert. I. c. IX. n. VII.

3 *Illorum expostulans interventus.* Ergo omnes episcopi mediolanenses usque ad Auctoris tempora in Sanctorum numero censi erant. Re quidem vera usque ad S. Datium omnes, jam a priscis temporibus, solemni cultu et invocatione decorati sunt. Datium sequitur Vitalis nulla ecclesiastica commemoratione nobilis; postea Episcopus gravibus Pelagii II. censuris perculsus, *Epist. V. ad Narsetem Patricium: in Act. Concilior. Mansi:* deinde Fronto facinoribus et mala morte famosus. Vide quae dicta sunt in Dissertatione I. c. III.

non autem adversus illos proprie ducor industriae fastu, mihi spero concedent veniam. Ob quam causam in tota hujus materiae fabrica titulum frontis eradam, ut muta sit pagina, nec loquatur Auctorem, retexens rei gestae tenorem. Haec in Procemio, velut ad ingressum carinae, navigationis insolitae ancipitem formidans eventum, idcirco praemisi, ut mihi si forte in abrupta sirtium puppim impegero, facilior adsit indulgentia, quia tam pertinaciter excusare volui de imperitia.

Caput I.

De situ et de aedificatione urbis Mediolani [1].

Navigationis coeptae cursus, quos, ut credo, Spiritu Sancto gubernante ac impellente, adorior, eo dirigere cogor, ut primo de Urbis, ad quam vela tendere proposui, situ, qualitate loci, causa vocabuli ac dignitate, quidquid ubique repererim, pro modulo meo elucubrare debeam. Situs igitur Civitatis Metropolitanae, de qua occurrit ratio, uberrimus est foecundae Matris Italiae sinus. In ea dumtaxat provinciae ipsius plaga, quae Liguriae nomen a veteribus sortita est, per quam a septentrionali ad orientalem versus partem Abdua, et Ticinum ingentia flumina, Padani gurgitis medium influunt gremium. Porro Liguriae praefatae quantitas a jam dicto Abdua fluvio ad Alpes usque, quibus Rhetiarum limites ab Italicis finibus dirimuntur, protensa est [2], continens in sinu medio florentissimam affinium urbium Mediolanum, quae ex priscis temporibus, ut in veracissimis reperitur annalibus [3], altera post inclytam Romam magni imperii dignitate ac ditione potita est. Et ex eo Ecclesiae ipsius Antistites super cete-

[1] *De situ et de aedificatione.* Prior vox titulum fecit huic Libro apud plerosque scriptores: altera Capiti huic primo apud editores Opp. S. Ambrosii qui Mediolani anno 1491. illud caput typis publica luce donarunt inter Sermones S. Doctoris. Hoc caput in MSS. Ambr. deperiit.

[2] *Liguria . . . protensa est.* Liguriae nomen jam a tempore Augusti huic nostrae mediolanensi provinciae adhaesit quoadusque saeculo VII. Langobardi, rerum potiti, proprio Langobardiae nomine illud commutarunt. Oltrocchius *Histor. Ligust. Ecclesiae Mediol.*, Lib. 3. c. V. N. X. inquit: *Exinde* (ab anno scilicet 643 quo Rex Langobardor. Rotharis leges suas promulgavit) *mihi videor certissime affirmare, Venetiam, Liguriam, et magnam Æmiliae partem in unum Langobardiae titulum coaluisse....* In Procemio autem ejusdem Operis asserit: *Vocabulum Liguriae VIII saeculo inclinante, penitus obliteratum.* Vide Dissertationem I. c. VII. N. III. Atqui Auctor nomen Liguriae usurpat tamquam praesentis usus.

[3] *In veracissimis reperitur annalibus.* Pro Annalibus intelligendum puto Ausonii, poetae saeculi quarti, Carmen VI. *De Claris Urbibus*

Et Mediolani mira omnia: copia rerum,
Innumerae cultaeque domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores, tum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus et inclusi moles cuneata theatri,
Templa, Palatinaeque arces, opulensque moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Maeniaque in valli formam circumdata limbo.
Omnia quae magnis operum velut aemula formis
Excellunt: nec juncta premit vicinia Romae.

Haec producere semel juvat, quia alibi de his recurret opportuna mentio.

ros[1] non solum Liguriae, sed Venetiae, Æmiliae, ac Rhetiae, nec non et ejus partis, quae Alpis Cottia nuncupatur, quin etiam super nonnullos Tusciae[2] Praesules, post Romanum Pontificem, decentissimam metropolitani apicis adepti sunt cathedram. Dicta autem Liguria a legendis, idest colligendis leguminibus, quorum satis est fertilis[3].

Haec et altero nomine, sed non absque re, Cisalpina Gallia dicta est, quod quare acciderit, licet extrinsecus a proposito sit, dicam breviter. Anno siquidem secundum peritissimos calculatores ante Incarnationem Domini CCCCXLIV Brenno dux Gallorum inlectus deliciarum aviditate, quae sibi ab Italiae ubere fuerant delatae, ex Senonis Regni sui urbe progressus, cum plurimis Senonum Gallorum agminibus cunctas captivae Italiae oras occupavit. Romam quoque pulcherrimam, excepto capitolio, cum adhuc in puellaribus[4] degeret intemereta crepundiis (nam CCC ab institutione ejus tunc tantum annus aderat) violavit, incendit, atque nudavit. Ea tempestate Galli Senones

1 *Et ex eo ... super ceteros.* Ecclesia in partitione ecclesiasticae jurisdictionis plerumque civilem politiam ita secuta fuerat ut quae esset metropolis civilis, eadem et in ecclesia principatum honoris obtineret. Hoc nos docet, inter caetera, Concilium Taurinense anni 491. can. 2.: *illi episcopo totius provinciae primatum deberi qui suam civitatem ostenderit metropolim.* Jam vero Mediolanum a tempore Augusti, teste Plinio. *Hist. lib.* 3. c. 5 *et* 7., Metropolis Liguriae constituta est, quarto autem saeculo etiam totius Italiae superioris, quare *Metropolis Italiae* appellabatur. Septem provinciae eius ditioni subjciebantur: Liguria ab Athesi flumine Vercellas usque; Æmilia a Placentia usque Bononiam: Flaminia a Ravenna usque ad flumen Rubiconem: Picenum Annonarium a Rubicone usque Senogalliam: Venetia una cum Istria ab Athesi usque Aquileiam, Tergestum, Forum Julii, Labacum, Tridentum: Alpes Cottiae a Taurino Genuam usque: Rhaetia superior cujus caput Curia et inferior ubi Augusta Vindelicorum. De hac tam ampla jurisdictione vide Notas fusiores ad calcem Operis N. I.

2 *Super nonnullos Tusciae Praesules.* Hoc quidam notatu dignum: non enim facile apud scriptores rerum nostrarum hujus juris memoriam reperies. Atqui Mediolanensem antistitem super nonnullum Tusciae Praesulem auctoritate Metropolitica gavisum esse testimonio est Epistola 22. anni 594. (Ed. Maurin.; tum Villa *Fasti* etc.) qua S. Gregorius M. Costantio Episcopo Mediolanensi commendat disciplinam Ecclesiae Lunensis male versam; idque tamquam rem *tui officii,.. in locis vestris... ut in eo negotio adjciatur auctoritatis auxilium.* At Lunensis episcopatus erat intra fines Tusciae, prope Lucam. Philippus Ferrarius *Lexic. Geograph.* de Luna disserens ait: *Luna urbs Hetruriae... antiquissima, una ex duodecim primis Tuscorum coloniis.* Luna eversa, episcopatus Sarzanam translatus est: ast Lunensis nominis memoria superest in provincia *Lunigiana.*

3 *Liguria a legendis leguminibus.* Hoc etymon auctor sumpsisse videtur a M. Varrone *De Re Rustica* L. 1. c. 32.: *viciam, lentem cicerculam, eruilam, caeteraque, quae alii legumina, alii, ut gallicani quidam,* legaria *appellant: utraque dicta* a legendo, *quod ea non secantur sed vellendo leguntur.* Itaque quae Latini a colligendo appellabant *legumina,* gallicani (nempe Cisalpini, Ligures) appellabant *legaria;* facili autem usu etiam *ligumina* et *ligaria:* uti constat ex Inscript. 3. pag: 935. apud Murator. ubi legitur ABVDIA NEGOTIATRIX FRVMENTARIA ET LIGVMINARIA. Inde huic regioni leguminum feracissimae, Liguriae vocabulum derivasse creditum est.

4 *Cum adhuc in puellaribus.* Haec sententia et phrasis ex Floro *Gestor. Rom. Epitome* L. 1. deprompta videtur. Ibi enim legitur: *A rege Romulo ad Caesarem Augustum septingentos annos... Prima aetas sub regibus fuit, prope CCL per annos... haec ejus infantia. Sequens a Bruto Collatinoque coss. in Appium Claudium Quintumque Fulvium coss. CC annos habet... ideo quis adolescentiam dixerit. Dehinc ad Caesarem Augustum CCL anni.* Quo vere anno Roma

prosperis adjuti successibus, urbes etiam ad inhabitandum sibi condere coeperunt, ut est hodie quae Pergamum, Brixia [1] et Ticinum, quae altero vocabulo Papia [2] dicitur, necnon et eam, quae ex nomine gentis Senogalliam appellarunt. Quibus ingenti structura firmissime fabricatis, Mediolanum postremo exquisito in loco, velut in quadam umbilici terrae planitie, mirificentissimo ac decentissimo construxerunt opere. Quam tamen postmodum Principes, expulsis Senonum populis, longe melius sublimantes auxerunt, locantes in ea more patrio eximium Augustorum dignitati Palatium [3], Theatrum [4], Aumatium [5], Thermas [6] et Viridarium [7], atque alia quaecumque imperiali stemmati complacitura forent. Ob quam causam saepissime ab eisdem postmodum Augustis frequentari coepit et incoli, eo quod esset inibi saluberrimi aeris aptissima temperies, locusque ad usus domesticos irrefragabiliter paratissimus. Ab antelatis ergo Gallis ea pars Italicae regionis idcirco Cisalpina Gallia dicta est, quae in confinio licet sita Alpium, attamen, ad majorem quantum spectat Italiae partem, infra Alpes est.

De qualitate vero loci ipsius quan-

capta a Gallis fuerit etiam apud recentes criticos disputatur: certum est apud omnes, post annum V. C. tricentesimum id contigisse. MSS. Pizzolpassi exhibet lectionem *dricentesimus annus*, quae evidenter *tricentesimus* legenda est non *ducentesimus*.

1 *Pergamum, Brixia.* Pompeus Trogus sive Justinus Histor. L. XX. c. V. locutus de Gallis qui Romam incenderant, sic pergit referre: *hi Galli... cum in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt et Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Pergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt.* De Brenno vel Brennone et de Gallorum Senonum adventu consule T. Livium L. V. c. 25.; de Senogallia Plinium. Hist.

2 *Ticinum quae... Papia dicitur.* Papiae nomen caepisse post restauratam anno 476. opera S. Epiphanii Episcopi urbem, satis constat apud plerosque Ticinenses auctores, et satis demonstratum in Disertatione I. c. XI.

3 *Palatium*, seu *Palatinae arces* memorantur etiam ab Ausonio: ibique fuisse putantur ubi Ecclesia S. Georgii *in Palatio.* De Palatio meminit Epigraphe in aede S. Ambrosii Mediolani, apud Gruter. 1059. 7.

ATILIVS A. F. CRESCENS
V. P. EX TABVLARIO PALATI
QVI VIXIT IN HOC SAECULO
ANNOS XXVII. MENS....

4 *Theatrum.* Auson. *Circus et inclusi moles cuneata theatri.* Sedes Theatro adsignatur proxima S. Victori *ad theatrum:* at vero *Circus* prope S. Magdalenam *al Cerchio* fuisse traditur.

5 *Aumatium.* Haec vox latina non reperitur nisi apud auctorem nostrum et Petronium Arbitrum in *Satyrico: in aumatium memet ipse conjeci.* Antiquus Grammaticus Fabius Fulgentius *De Prisco Sermone* seu de *Vocibus Antiquis* interpretatur Aumatium *locum secretum publicum* (latrina publica) *sicut in theatris aut circo.* Verum Patres Cistercienses in *Op. Antichità Longobardiche-Milan.*, freti contextui nostris Auctoris, optime opinantur, fuisse Aumatium locum Naumachiæ vel aliquam publicam magni operis et comodi fabricam.

6 *Thermas.* Aliae erant Thermae Herculeae ubi nunc Ecclesia S. Laurentii, quarum reliquiae sunt celeberrimae illae sexdecim columnae adhuc superstites, quibus nullum splendidius antiquitatum romanarum monumentum praesefert Mediolanum. De his Thermis Ausonius: *Et regio Herculei celebris sub honore lavacri.* Aliae erant Thermae comunes pro usu popelli. Vide Gratiolium *De Antiquis Ædificiis Mediol. ante Ænobarbi cladem.*

7 *Viridarium. Broli, Broletti, Verzieri* adeo multi etiam antiquitus numerabantur ut difficile sit discernere ubi fuerit Viridarium Caesareum. Acta S. Victoris Martyris notant illud fuisse prope *Sylvam quae ad Ulmos vocatur;* nempe ubi postea ecclesia S. Victoris *ad ulmum.*

tumcumque libandum esse non abnuo: quae ita moderate temperativam per divinam providentiam in se naturam possidet, ut nisi delicta cohabitantium impediant, necessarios usus congruis subministrare temporibus, et suae affluentia dignitatis patriotas jucundare non desinat. In nonnullis denique regionibus aut solis fervor immensus jugi aestu virentia terrae perurit, aut glacialis hyems nivea sub crusta rigescens, prohibet solum humano usui producere foetus; fitque ut quibus fruges suppetunt, dulcia vina negentur; itemque quos vini potat dulcedo, frugum inopia necet. At hic [1], de quo loquor, locus summa satis opulentia largus, profert semina fructuum, et nunc has, nunc illas novellas subinde fessus legit agricola fruges. Sic quoque qui toto anni spatio non indulserit otio, gaudebit passim telluris ubere profluo. Quid et de vini referam ubertare praecipua, qua per supernam largitatem usque adeo plurimas romani nominis provincias exsuperat, ut multo amplius huic nonnunquam meraca potio, quam sicerae, quibus suis vel etiam aquae * salubris videatur inesse plenitudo? [2] Nam et de aquis loci ejusdem quid primum mirer? quae quam sint ad potandum habiles, atque omnium usu laudabiles, non tam virorum peritorum, verum etiam pistorum, et fullonum novit industria. Raro autem eidem Urbi marinae copiae, raro diversorum stagnorum dapes affluentissimae deesse potuerunt pro temporis accessu. Et, quod valde mirandum, ejus loci genium concives ibidem satis ipsâ equiparant formâ corporeâ, eatenus ut longe dispariter a ceterarum urbium distare videantur indigenis. Inest nempe illis staturae proceritas decens, quae eminentiam secuturae dignitatis praefiguret in membris, nec tamen modum excedat ornatae prolixitatis. Quin etiam nativa solertia ex genitali quadam sapientiae prosapia decurrens, frons hilaris, et ore roseo benignissima, etiamsi animus mœstitudine torpeat.

Postremo, ut vocabuli exprimam ethymologiam, cum sit binomia, ex decore structurae eximiae, *Albæ* primum a veteribus nomen sortita est [3]. Usitato autem vocabulo *Mediolanum* dicta [4], sive quia inter duo supra taxata

[1] *At hic locus.* MSS. Pizzolp. *is*, editio Opp. S. Ambrosii *hic* habet. Auctor unum pro alio pronomine indifferentur plerumque usurpat: quidquid sit, ubique se Mediolanensem civem prodit.

[2] *Sicerae quibus suis.* Locus corruptus, sensus tamen comparativus satis clarus apparet.

[3] *Albae nomen a veter.* Socrates saec. V. florens Hist. Eccl. l. II. c. 34. loquens de S. Dionysio Mediolanensi antistite ait: Διονύσιος ὁ μὲν Ἄλβας τῆς Ἰταλῶν μητροπόλεως ἐπίσκοπος: *Dyonisius episcopus Albæ metropoleos Italorum.* Sozomenus autem qui post Socratem vixit, Hist. Eccl. lib. IV, c. 9, inquit: Διονύσιος ὁ Ἄλβας ἐπίσκοπος, Ἰταλίας δὲ ἥδε ἡ Μητρόπολις. *Dionysius episcopus Albae quae Italiae metropolis est.*

[4] *Mediolanum dicta.* T. Livius Hist. L. V. 35 haec de origine et nomine nostrae urbis refert. *Galli... (Senones, Ædui, Bituriges) haud procul a Ticino flumine, quum in quo consederant, agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Heduorum, ibi omen sequentes loci, condidere urbem: Mediolanum appellarunt.* Saepe etiam MEDIOLANIVM et MEDIOLANIENSES apud veteres legimus. Μεδιολάνιον reperitur apud geographos Strabonem et Ptolomaeum: *Mediolanium*, teste Dra-

flumina, Ticinum videlicet, et Abduam, in meditullio sita, aequa ab utroque lance distare videatur: sive quod, ut plerique affirmant, monstrum ibidem inventum, hoc est sus ex media parte corporis laneo [1] tectus vellere, nomen Urbi indidit *Mediolanum.* Ad cujus rei indicium mos inolevit, ut quotiens ab ipsa, velut ex principali urbium Metropoli Romani Consules ad bella prodibant, vexilla eos semilanea praeirent.

Haec de situ, et qualitate loci, ac causa vocabuli dicta sufficiant. Nunc jam, secundo divinitatis assensu, de ipsius dignitate, seu de prima christianae inibi gentis propagatione, vel quibus exculta cultoribus, quibusque irrigata suffragatoribus, ut suum agnoscens Conditorem, eidem soli, derelicta idolatriae superstitione, ubertim religiosae Fidei domesticos fructus afferret, quaecumque prisca aetas nostrae reliquit notitiae, conabor, quamvis balbutiente lingua, proferre; cantans Domino cum Psalmista, et dicens: *Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Atque utinam clementer subinferre dignetur, et addere: *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud.*

Caput II.

Barnabas in Apostolum assumitur et ad praedicandum gentibus mittitur.

Celebratis Dominus Jesus susceptae pro nobis passionis, ac resurrectionis suae mysteriis, serenatisque discipulorum animis, quos furens adversus Magistrum turbo perculerat, rediit ad Patrem, a cujus majestate, divinitate, atque aeternitate, numquam decesserat, repraesentans aspectui ipsius, glorificati per resurrectionem sui corporis cicatrices. Et quoniam oportebat juxta ipsius Redemptoris praeceptum, praedicari nominis ejus Evangelium toto orbi, redintegrato protinus mystico Apostolorum numero, ac diffuso passim per eorum doctrinam in Judeae fines evangelico semine, haud mora, primitivae seges Ecclesiae pullulare adorsa est. Et quamvis incredulorum corda Judaeorum in suae perfidiae rebellione persisterent, plurimus tamen, Apostolis in doctrina laborantibus, fiebat quotidie christifidelium profectus. Hinc evenit ut improbi, et cœcitatis suae tenebris involuti, eis, qui verum sibi lumen pandere cupiebant, persequ-

kembrochio, in vetustioribus et melioribus Livii exemplaribus. *Mediolaniensis* nobis exhibet fragmentum Excell. V. Alph. Castiglioni, atque haec Canonicae Cathedr. Novar. Epigraphe:

I. O. M.
C. POBLICIUS
MUNICIPUM
MEDIOLANIENSVm
L. ALEXANDER
V. S. L. M.

1 *Sus... laneo.* Haec, nisi probabilior, certe antiquior vocabuli fertur ratio et etymologia. Claudianus enim saeculo IV. canens Honorii nuptias Mediolani celebratas memorat

. . . . moenia Gallis
Condita, lanigerae suis ostentantia pellem;

id quod, vexillum urbis hanc monstri figuram praeulisse, insinuare videtur. Item Sidonius Apollinaris:

Et quae lanigero de sue nomen habet.

tionis gravissimae procellas ad vicem rependere non cessarent. Sed haec ipsorum vicissitudo nascentis Ecclesiae incrementis non fuit detrimento, sed magis potius augmento fuit. Siquidem, dispersis per orbem ob istiusmodi turbelam fidelibus, via confestim salutis cœpit patescere gentibus.

Nimirum Sancto id dispensante Spiritu, dum edito divinitus oraculo, ut Apostolorum sacra narrat Historia [1], Paulum et Barnabam in opus verbi, ad quod eos assumpserat, jussit segregari. Quorum alter jam tunc ex Saulo Paulus, ex lupo agnus, ex apostata Gentium factus Apostolus, ovium Christi providus erat gubernator, quarum paulo ante saevissimus extiterat laniator. Alter, licet Cyprius genere, sed jampridem Patris Abrahae ascitus in semine [2], quem non modò originariae stirpis posteritate, verum etiam Fidei insignis virtute noscitur aequiparasse. Cujus eximiis praeconiis idioma sui nominis [3] aptissime convenit: interpretatum siquidem sonat *filius consolationis*. Et quam pulchre! Nempe ipse est, qui venditi agri pretium Apostolicis substravit vestigiis; qui, quoniam praesentia flocci pendit, spe aeternorum indubitanter consolari non abnuit. Hic est autem Barnabas, qui et Joseph, Levites, cui Lucas [4] veredicus scriptor hujuscemodi perhibet testimonium: *Quia erat*, inquiens, *vir bonus, et plenus Spiritu Sancto, ac Fide, et per illum apposita est turba multa ad Dominum.* Qui nisi talis esset, nequaquam cum Mathia [5], ut multis videtur, ad substituendum duodenarium numerum Apostolorum eligeretur, nequaquam a ceterorum consortio cum suo collega Paulo ad praedicandi ministerium mitteretur.

Hos igitur, ut cœpta prosequar, beatissimi Apostoli, fundatâ primum in Jacobo fratre Domini primitivâ Hierosolymorum Ecclesiâ, XIV post Domini passionem anno [6], per manuum

1 *Actor.* c. XIII. v. 2.

2 *Patris Abrahae ascitus in semine.* Fuit enim genere Judaeus et Levita: et ut veteres tradiderunt, unus ex LXX discipulis Jesu Christi; ita enim narrat Clemens Alex. *Strom.* L. II. c. 20. Eusebius, *Hist. Eccl.* L. I. c. 12. Epiphanius, *Haeres.* 20. 4.

3 *Idioma sui nominis.* Barnabae nomen hebr. בר נבואה significat *filius orationis inspiratae*, *filius prophetiae*; at vero. S. Lucas, Act. IV. 36, illud vertit υἱὸς παρακλήσεως, *filius consolationis.*

4 *Actor.* cap. XI. v. 24.

5 *Cum Mathia ut multis videtur.* Acta Apost. c. I. referunt, Apostolos proposuisse duos discipulos ex quibus eligeretur Judae proditoris successor: *et statuerunt duos, Joseph qui vocabatur Barsabas qui cognominatus est Justus, et Mathiam.* Jam vero hunc Josephum Barsabam nonnulli putaverunt et putant eumdem esse ac Barnabam de quo Acta eadem Apostolor. c. IV. tradunt: *Joseph qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis.* S. Dionysius vulgo Areopagites citat Epistolam Barnabae sub nomine *Justi* id est Barsabae: antiqua Actor. Apostol. Versio Æthiopica loco *Barsabas* habet *Barnabas*: item vetusti aliqui codices graeci, velut Codex Cantabrigensis gr-lat. in Polyglotta Waltonii. Identitatem personae tuetur Ulmann *Studien und Kritiken* 1828, p. 377, optimi vero critici oppugnant.

6 *XIV. post Domini passionem anno.* Postquam Barnabas cum Paulo detulissent eleemosynas Hierosolymam afflictam *fame magna quam futuram in universo orbe terrarum* praedixerat propheta Agabus, Actor. XI. 28, et *quae facta est sub Claudio* Imperatore, *ibid.*, Apostoli perimpositionem manuum et orationem illos mise

impositionem ad Apostolatus fastigium extulerunt, et ad gentium magisterium pariter destinarunt. (Praedicationis vero ipsorum initium Antiochenae fuit profectus Eclesiae [1], in qua primum inter gentes Christiani vocabuli et germen effloruit, et nomen insonuit). Exin circumquaque diffusas aggredi cœpere regiones, insulas, atque provincias, verbi Dei semen Gentilium mentibus inserendo, et ad credulitatis [2] augmentum inauditas in Christi Jesu nomine virtutes patrando, adeo ut quidam eos, errore decepti paterno, deos esse putarent, Barnabam Jovem nuncupantes, eo quod prior videretur esse ac senior, quasi divûm patrem, regemque hominum; Paulo autem Mercurii nomen adscribentes, quia ipse dux verbi erat, quem eloquii ac sapientiae latorem putaverunt. Hujus rei testes sunt tam graecorum, quam latinorum historiographorum plurimi; testis et unus ex ipsis Gentium doctor Paulus, qui in Epistola [3], quam ad Galatas misit, inter cetera: *Cum vidissent,* inquit, *gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi, et Barnabæ societatis* etc.

Verum dum innumera jam jamque Christi Fidei credentium lucra per ipsorum praedicationem accumularentur, interveniente cujusdam scrupulo dissensionis ab invicem discesserunt. Causa autem hujus inter eos divisionis Joannes, qui cognominabatur Marcus, fuisse perhibetur; quem Paulus, [4] quia in initio praedicationis tepidum vidit, in ministerium recipere noluit, scilicet ne illius teneritudine vires frangerentur audientium. Barnabas igitur propter cognatum sibi fratrem, et affinitate conjunctum (leguntur enim consobrini fuisse) separatus corpore, non animo a Paulo, Cyprum patriam repetiit insulam; et nihilominus praedicationis Evangelicae injunctum sibi opus exercere non desiit [5].

Est autem Cyprus insula Pamphiliae provinciae in mari Asiatico sita, habens quindecim pulcherrima oppi-

runt ad praedicandum gentibus. Atqui illa magna fames coepit quidem anno Claudii IV ut tradunt Eusebius in Chr. et Orosius Hist. L. 7. c. 6.: ast in Judaea saeviit anno V et praecipue VI quando Helena Adiabenorum regina Hierosolymam venit, tantamque calamitatem miserata, coempta ex Ægypto annona, famem Judææ sublevavit. Joseph, *Antiq.* Edit. Hudsoni 1726. L. 20. c. 2. n. 6. in nota Spanhemii: Vales. ad *Euseb.* l. 2. c. 12. Itaque Pagius illam famem refert ad annum VI qui est a Christo nato XLVI, post Christi passionem XIV.

1 *Initium... antiochenae ecclesiae.* Hoc tamen contigisse intellige ante hanc impositionem manuum. *Act. Ap.* c. XI. v. 26.

2 *Credulitas.* Credulitas apud S. Patres idem sonat ac professio fidei christianae vel potius fides ipsa simplex, quae auctoritati adhibetur, nulla petita ratione, ut fides Abrahae. S. Cypr. Epist. 78: *Tractatibus tuis nos in fide facis crescere et saeculi homines ad credulitatem accedere.* S. Zeno Episcop. Veronensis L. 1. tract. 1.: *Abraham placuit Deo credulitate sine lege.*

3 *Ad Galat.* c. II. v. 9.

4 *Quem Paulus.* Res narratur *Act. Apostol.* c. XV. v. 37.

5 *Non desiit.* Hoc ex S. Hieronymo *de Viris Illustribus* sumptum est.

da [1] muris serisque munitissima, quorum metropolis Paphus, insignis plurimum, famosaque divitiis, metalli maxime aenei, cujus prima inibi utilitas atque inventio fuisse dicitur. Hanc ergo adnavigans Apostolus Christi et Gentium didascalus Barnabas, ac velut genitale solum summa industria excolens, veternosae ab ea Gentilitatis spinas evellendo, atque evangelici verbi sata serendo, nec non virtutum vigore, quae severat, irrigando, non sine divino, ut opinor, nutu ad eam rediisse comprobatus est.

Caput III.

De Adventu Barnabae Apostoli 2.

Non post multum denique temporis ascendens navim cum aliis, quos ipse instituerat, christianae Fidei cultoribus urbem adiit Romam, velut totius orbis dominam in viscere cupiens, cum esset annus a constitutione ejus DCCCV, hoc est annus Claudii XI. post vero Domini Ascensionem XVIII [3]. Stansque in loco urbis celeberrimo, ubi romani populi crebior concursus habebatur, primus ex apostolis [4] libere protestans, inopinatum Filii Dei vivi, ac veri adventum Romano coetui proclamavit. Quo audito quidam astantium ridere, et subsannare hominis rusticani verba impolita; quidam libenter his quae ipse fatebatur, annuere, et per singula sollicite intendere: in tantum ut nonnulli ex primatibus, quorum erat mens sanior, Christi jugo sua colla inflectere, et illius nuntii obsequiis devotissime insistere non cunctarentur. Inter quos Clemens; qui postea romanam sedem tertius a B. Petro naviter gubernavit, quique ejus rei, quam narro, in sua de semetipso Epi-

1 *Cyprus habens XV. oppida.* Plin. l. 5. c. 31. L. 34. c. 2, *In Cypro prima fuit aeris inventio.* Cyprus anno 640 a Saracenis capta, anno autem 683 eversa et in solitudinem redacta.

2 Tituli charactere hoc rotundo ipsius Auctoris sunt: cursivos ego suffeci.

3 *Annus Claudii XI. post Dom. Ascens. XVIII.* Vide Dissertationem II. de chronologia Auctors.

4 *Primus ex Apostolis Rom.* Barnabam Romam venisse crediderunt Tertullianus, Hieronymus, Chrysostomus, tum aperte tradunt Alexander Monachus auctor saeculi V., Menologium Basilii Imp., et alii: quae testimonia pensitata sunt in Dissertatione III. Verene primus ex Apostolis Romam venit, eamque Fidei mysteriis imbuit? Id quidem narrat graecus Recognitionum Clementinarum Liber a Rufino in latinum versus, tum earum Epitome; quae scripta saeculo III. prodierunt: tum vero Synopsis Dorotheana saeculo VI. exarata; demum antiqua Homilia quae Bedae tribuitur, cujus initium *Redemptor et Salvator noster.* Neque id ego instituto per Petrum Romano Pontificatui et Sedis Primatui quidquam officere arbitror. Non enim Roma ideo Petri sedes est quia Petrus primus ibi evangelium attulerit, sed potius quia Petrus Apostolorum princeps et Ecclesiae universae caput sedem ibi constituere sibi et successoribus maluit. Imo ego mihi persuadeo, Petrum exemplo Christi *mittentis binos discipulos ante faciem suam in omnem terram et locum quo ipse erat venturus,* misisse ut Marcum fundaturum Ecclesiam Alexandrinam, ita Barnabam praeparaturum Romanos ad adventum suum. Profecto ipse est Barnabas qui a Petro *missus est Antiochiam* (ubi prima cathedra Petri) *regere numerum credentium; qui cum pervenisset hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino... ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli christiani.* Actor. XI. 52. Consulenda est Dissertatio II.

stola meminit [1]. Quo in tempore idem Christi minister beatissimus nugacium insidias, et malignantium calliditates declinans, totas coepit circum circa perlustrare provincias, coelestis regni gaudia credentibus pollicendo, assertionesque suas non argumentorum fucis sed dulcium praedicamentorum simplicitate non ficta muniendo.

Et quoniam post Romanam arcem famosissima jam tunc habebatur civitas saepe dicta Mediolanium, quippe quae pari ditione sublimis secunda post ipsam, ut praefatus sum, Augustales occidui Imperii infulas retentabat, ad eandem, assumptis in praedicationis exequendae ministerium sodalibus, maximeque Anatelon quodam, genere grajo, sed morum probitate, et fidei vigore praecipuo, cursus sui tramitem destinavit. Interea supratаxatae urbis moenibis introgressus [2], et aliquot in eadem moratus diebus adtendit ibidem, ut ipse postea profitebatur, quosdam ex plebe, dum veritatis sermonem ediceret, libentius audientes, quosdam autem ingenti primum stupore perculsos, et incredibilia sibi, quae narrabantur, videri alterutris innuentes. Tum ille ut erat viscerum misericordia plenus, compassus utrisque, in lacrymas resolutus est. Istos enim, quos tetra caligo infidelitatis cœcaverat, ad lucem revocare cupiebat. Illos vero, qui ad haurienda verbi Dei pocula sitibundas fauces adtulerant, fonte perenni desiderabat implere. Hortatur ergo socios, ut divinum supplices adesse implorarent auxilium, et

1 *Clemens in sua Epistola.* Clemens Petri discipulus et Pauli συνεργός et doctor egregius plura sana scripserit apostolicae doctrinae et historiae ecclesiasticae monumenta. Nec enim sine causa a Sozomeno, *hist. Lib. I. c.* 1. utpote ecclesiasticorum historicorum primus laudatur. Verum ex his nihil ferme aliud est reliquum nisi quatuor Epistolae, duae ad Corinthios, duae de Virginitate pertractantes, illae anno 1633, istae anno 1752 ex bibliothecarum tenebris erutae. Quis divinare audeat quot aliae ab eo scriptae fuerint et perierint vel lateant? Itaque eam Clementis Epistolam quam Auctor memorat, unam credere licet ex amissis. Neque enim quis dixerit pro Epistola intelligendas esse *Recognitiones Clementis* vel *Clementinas XIX Homilias* Clementi falso attributas et saeculo III. scriptas, in quibus de Clemente per Barnabam Romae ad fidem converso agitur. Isti enim libri sunt ad modum familiaris colloquii et dissertationis, nullam Epistolae rationem praeseferentes.

2 *Moenibus introgressus.* De Barnabae adventu Mediolanum argumenta habeas amplissime collecta et digesta in Dissertatione III. Exhibeo imaginem S. Apostoli omnium quod ego sciam, antiquissimam, ex Ecclesiae Graeco-Moscoviticae Kalendario figurato. Assemani, *Kalendaria Eccl. univ.* T. 11. p. 11. c. I., IV. tab. IV.

ВАРНАВА



apud quem est fons vitae, et in cujus lumine videtur lumen, illius freti juvamine, opportune et importune vias vitae moribundis pandere non desisterent, protestans eis divinae voluntatis indicium, et quod non absque maximo emolumenti cumulo, coelestia essent talenta largituri, evidenter insinuans. Igitur dum ipse ibidem verbo Dei operam daret, haud mora, complurimi, eo pure ac sinceriter de poenitentiae remediis et vita seculi futuri disputante, ad fidem Christi convolarunt.

Tum alloquens praeclarissimum virum Anatelon aeque apostolico dogmate fartum: *Perge,* inquit, *ab urbe hac ad orientalem versus plagam, lapide sexagesimo, Brixiam* [1], *quae est Alpibus contigua, et una ex Venetiarum urbibus haud ignobilis, civibusque ejus salutaria verbi pabula impertire. Credo equidem collatam tibi a Domino gratiam, et non modica post paululum ibidem adolescet, te praedicante, turba Fidelium.* Quam ille gratanti mente jubentis legationem suscipiens, ad eamdem properanter accessit urbem. Cumque agrestibus, ac ferocibus Gentilium animis dulcia vitae perennis, relatu mellifluo mysteria reseraret, mox, cooperante ineffabili Omnipotentis providentia, aliquanti ex plebe Fidei monimenta perceperunt ore sagaci. Quod ubi vir Dei aspexit, illico ad magistrum rediens prosperatum iter sui Legati nuntiavit. At ille immenso repletus gaudio festivas bonitati Creatoris gratias egit, iterum iterumque commonens, ut insisteret credita sibi talenta cum nummulariis erogare, quatenus cum bono ac fideli servo vocem illam desiderabilem audire mereretur: *Euge bone serve, et fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Alludensque ad nomen Anatelon [2] ait: *Frater, et Coapostole super multa constituendus, plura oportet lucra tua Domino repraesentes.* Orans ergo, et imponens illi manus, episcopalem deinceps curam commissarum sibi a Christo ovium vigilanter exercere jussit inter Mediolanenses, ac Brixianenses accolas, doctrinae magisterio, et Fidei Christianae institutis delegatum. Hinc factum est, ut

1 *Perge Brixiam.* Brixia jam a vetustis temporibus inter clarissimas urbes numeratur, ipsique Veronae excelluisse videtur, juxta illud Veronensis Catulli. Carm. LXVI.

Brixia Veronae mater amata meae.

Ipsa templorum profanorum rudera, aenea signa praestantissima, epigraphae Augustis inscriptae, aliaque plurima veteris magnitudinis monumenta nuper e terrae latebris eruta, urbem eam nobilissimam fuisse dicunt. Brixiam autem Galli Cenomani condiderunt. Notes velim illam optimae latinitatis et antiquitatis phrasim *lapide sexagesimo,* ortam ex romana consuetudine muniendi vias publicas lapide seu columella per singulos mille passus.

2 *Nomen Anatelon.* Anatelonis ἔτυμον Agiographus noster deducit a radicc ἄνα τελέω quae praeter alia, significat, *pecuniam solvo, tributum repraesento:* unde τελόνες *publicani,* qui vectigalia colligebant, et principi repraesentabant. *Lucra, pecuniam repraesentare* est dictio optimae notae Tullianae, significatque *pagare a soldi contanti.* Animadverte tamen Anatalonis nomen diversimode a veteribus efferri: scilicet *Anatalon, Nathalo, Anatholon Anatolius.*

secundum quod praeceperat impleretur, scilicet ut omni tempore, quo adviveret, utriusque Ecclesiae plebibus pari tenore pastoralem curam impenderet. Praeter quod sanxit, ut [1] Mediolanensis, quam ipse fundaverat, principalis ecclesiastici culminis Sedes, aliarumque in ea provincia ecclesiarum Metropolis perpetualiter habeatur.

His ita decursis beatissimus Christi Apostolus Barnabas suam coepit accelerare profectionem. Accitisque discipulis, indicat diem festum paschae adventare, et se, Christo opitulante, una cum confratribus, et Coapostolis ex voto celebraturum esse. Fit moeror ingens tam christianorum, quam paganorum [2], qui se totius in eo felicitatis detrimentum pati clamabant, hoc est, si discederet, si illos pauxillulum relinqueret. Praecipue vir dei sanctus Anatelon lacrymabiliter ac graviter ingemiscebat pro eo quod dixerat, se non ultra reversurum, quia reliquo vitae tempore cum suis esset compatriotis ac fratribus permansurus; illum semper suae resolutionis diem gratulabunda mente opperiens, quo sui laboris a Christo coronam recipiat immarcescibilem. Quem ita consolabatur Magister, ut diceret: *Quid tantum mea delectaris praesentia, cum tibi Christi Jesu Domini mei nunquam defutura sit? Sic enim nobis polliceri voluit dicens: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. An non de omnibus ejus dictis, et operibus, ut ego a beatissimis Petro, et Jacobo magistris Ecclesiae, sic et tu a me eruditus es? Numquid aliquid tibi deesse poterit in vinea patrisfamilias desudanti? En, cum doctrina Fidei, virtutum quoque tibi efficacia non deerit, et quae postulaveris impetrabis.* His et hujuscemodi allevatum astipulationibus, dimisit in omnibus diligenter instructum; protinusque ad Romanum regrediens portum, ingressus navim, ad Palestinae gremium repedavit [3].

Hucusque de primis Ecclesiae Mediolanensis propagatoribus, prout parvi tulit captus ingenii, ex diversis col-

1 *Sanxit ut.* Haec esset altera metropoleos Mediolanensis ratio: prior ea, quam cum Auctore jam probavimus, fluens ex urbis in re civili dignitate praeminenti, altera vero haec ex conditoris Apostoli auctoritate praecipua. Verumtamen nescio utrum, jura metropolitae et suffraganeorum temporibus apostolicis jam constituta fuisse facili negotio demonstrari possit.

2 *Paganorum.* Haec vox apud ecclesiasticos scriptores jam a saeculo quarto *infideles, idololatras* significat. S. August. Retract. I. 2. C. 43. *deorum falsorum multorumque cultores, paganos vocamus.* Saepe autem ipsi infideles viris apostolicis, virtutum eorum gratia capti, addictissimi fuisse leguntur.

3 *Repedavit.* Ex ἀναποδίζω *tornare indietro. Ad signa repedavit ocius miles:* Amian. Lib. 24. c. 7. Barnabas reversus in Palaestinam, ac demum in natalem insulam Cyprum, martyrio coronatur: itaque in vetustis Ecclesiae Syriacae Enchologiis appellatur γενναιόμαρτυς *martyr generosus.* Ejus corpus anno 478. a S. Anthemio Salaminae episcopo, Deo revelante, repertum fuit una cum evangelio S. Mathaei manu Barnabae scripto. Mediolanenses Barnabae cineres et caput ab immemorabili asservant, quae ex Basilica Naboriana ad Ambrosianam translata sunt et in sacello S. Savinae reposita anno 1798; qua de re adi Papebrochium. *Actis SS.* XI Junii ubi *De Reliquis S. Barnabae.*

lecta utriusque linguae [1] paginis, ceu discolor in amoenis solet pratis compingi coronula, satis adnotasse et conglutinasse sufficiat. Nunc vero ab ipso Anatelon tempore usque ad haec, quae in praesenti decurrunt secula, gressu licet pendulo, stili hujus cursum dirigam, quem nisi tu, Praesul Excellentissime, dexteram extendens benedicas et acuas, asperitate retunsus incedet per devia.

Caput IV.

Depositio Sancti Anatalon [2] Episcopi Mediolanensis Primi [3].

Anatelon igitur episcopatus apicem, sui magistri sanctissimi Barnabae vice, velut Christo donante, suscipiens, apostolicis se formavit operibus, probisque actis adornavit. Erat quippe divinae caritatis igne fervidus, virtutum nitore splendidus, jugis parsimoniae ac vigiliarum instantia perspicuus, verbo Dei indesinenter intentus, ita ut commissas sibi plebes et assiduis orationibus ad alta subveheret, ed admonitionibus saluberrimis ex profano simulacrorum ritu eruere non cessaret. Et quamquam de sui absentia magistri non modice angeretur, ejus tamen fidelissimis refocillatus promissis, sanctae Dei Ecclesiae agrum instantissime excolebat, et infidelitatis antiquae procul tribulos abjiciens novellae plantationis fructiferas jugiter vites inserebat. Habens denique secum Cajum condiscipulum, suum, aeque summae sanctitatis virum, quem ob praedicandi gratiam, jam magistri coheres factus, fideli violentia magis quam pertinaci superbia ad suum praeripuerat adjutorium, hunc condigno jam tunc Presbyterii honore cumulatum, firmissimum suo lateri in opus verbi comitem ascivit. Aliquantos etiam ex eis, qui crediderant, Fidei christianae decore nitidos, et omni morum honestate probatos Diacones instituit. Ocius quoque illis invigilantibus, et ovile Dominicum solicite providentibus, Divina Majestas annuit, et fidelis populi coetus ex improviso multiplicari coepit. Quamquam inter credendum, ad eorum qui rebelles Christo existebant infinitam multitudinem, paucissimi viderentur ii, qui interdum ad audiendum verbum convenerant. Porro tam nobilibus, quam vulgo, indifferenter viam salutis vir sanctissimus Anatelon praedicabat, degens maxime in suburbano [4] civitatis, ob paganorum rabiem ac spurcitiem evitandam, ubi et sacri Baptismatis signacula, et Missarum orationumque solemnia [5] cum his, qui

[1] *Ex diversis utriusque linguae.* Scilicet ex pluribus scriptoribus tam graecis quam latinis.

[2] Bollandistae *in Anatalone* hoc de Auctore judicium proferunt: *in hoc toto Anatalonis elogio satis parcus et veritatis amans apparet.*

[3] *Primi:* quo sensu primus sit, dictum Dissertat. III.

[4] *In suburbano.* Ex iis quae mox sequentur, locus iste suburbanus ille fuisse perhibetur ubi nunc Ecclesia S. Eustorgii.

[5] *Bapt. signacula, missarum.* En tibi optimas antiquitatis sacrae dictiones. *Missae* autem vocabulum habes apud S. Ambrosium Epist. XX: *Missam facere caepi. Dum offero....*

Fidei juncti erant, sub dio exequi solitus erat.

Fuit autem in pastorali cura utrarumque Sedium annis tredecim ab anno XII. Claudii [1] usque ad X. Neronis. Quo in tempore ordinavit sibi successores duos, alterum Mediolanensis, alterum Brixiensis [2] civitatis Episcopum; constituitque condiscipulum in divinis dogmatibus apprime eruditum [3] civem romanum Mediolanensi urbi ante suum decessum Metropolitanum Antistitem. Cui profecto urbi tantum privilegii a suo noverat Magistro concessum, ut sicut inter reliquas Italicarum provinciarum urbes, earum dumtaxat, quae occidentalem versus marginem ab Italiae sinu protenduntur, post Romanam arcem nitentis structurae eminentia, atque aulicorum conventu frequentissimo principare videbatur, ita Ecclesiasticae ditionis praerogativa post Romuleam Sedem cunctas excelleret. In hunc modum, et ipse praefatus Antistes nil a suo Institutore discrepans, Metropolitani ibidem Cathedram pro futuris temporibus Christi statuit esse Fidelibus, quatenus affinium populorum Antistites, hoc est Venetiae, Liguriae, Æmiliae, Rhetiae, Alpis Cottiae, quotquot fuerint in Sancta Matre Ecclesia futuri per has saepedictas provincias, caput quoddam et decus insigne, post Romanum Pontificem, habere debeant Mediolanensis Sedis Praesulem.

His ita sancitis migravit [4] ad Chri-

[1] *Annis XIII. ab anno.* Vide quae ad hunc locum animadverti in Dissert. II. de chronologia. Anataloni autem omnes antiqui Catalogi annos sedis XIII. tribuunt ut mox exponam. Anatalo e vita excessit quum *Neroniana tempestas atrocissime, ut refert Auctor, depopularetur.*: quae quidem anno incepit aerae vulgaris 64., Julio mense; sequenti Septembri Anatalo transiit die VIII. Kal. Octobris. Jam modo si enumeres ab hac die regrediendo, annos XIII. sedis Anatalonis, habebis annos tres sub Claudio, decem sub Nerone.

[2] *Successores duos, Mediol. Brix.* Hoc quidem et Ecclesia Brixiensis traditum servat, fidem nempe ab Anatalone Brixiam allatam et episcopalem cathedram institutam, Anataloni autem successisse Clatheum. Profero duos omnium vetustissimos Brixienses Catalogos quorum primum ex doctiss. Brunatio *Vite di Santi. Bresc.* 1834. Is autem in Codice est saeculi X. vel IX., signato 207. B. III. Bibliothecae Quirinianae et ita se habet. *Primus Eps Brixiensis fuit Anathalon Mediolanensis archieps. Sdus Clatheus. Tercius Viator. Quartus Latinus. Quintus Apollonius. Sextus Ursicinus* qui interfuit Concilio Sardicensi anno 347. Alter Catalogus saec. XII. publica luce a Gradenigo donatus *Brix. sacra.* Diss. Procemio.

Haec sunt noa Eporum Brixiensis Ecclesiae:
Primus Domnus Anathalon eps. s.
Clatheus eps. scs.
Viator eps. scs.
Latinus eps. scs.
Apollonius eps. scs.
Ursicinus eps. scs.

[3] *Civem Roman.* Muratorius pro *civem* habet *Caium.*

[4] *Migravit. VIII. Kal. Octobr. depositusque.* De die et loco depositionis S. Anatalonis haec habemus antiqua ex Catalogis monumenta. Catalogus Episcoporum Mediolanensium Bibliothecae Ambrosianae scriptus saeculo VI. ut Papebrochio placet, ita refert: *Anatalon sedit annos XIII. depositus est VIII. Kal. Oct.* Catalogus saec. XI. Biblioth. Metropolit. *Sanctus Anathelon sedit annos XIII. Depositus VIII. Kal. Octobris et jacet apud Brixiam urbem in Monte Sancti Florani.* Vetustissima Chronaca apud Mich. Pizzolpassum MSS. Bibl. Ambr. H. 56. *Anathalon Sanctus sedit mdlni et brixiae annis XIII. Obiit anno dni LXVI* (fortasse pro LXIV.) *die XXIIII. Sept. Jacet in Eccla Sancti Floriani.*

stum perpetua laborum suorum praemia recepturus, depositusque est VIII. Kal. Octobris, quo etiam die venerabiliter colitur [1] sancta depositio ipsius ad Concilia Sanctorum [2]. Nam de sacratissimi ejus corporis gleba [3] quia nihil certi [4] usque ad praesens comperi, Dei solius, cui cuncta patent, relinquo notitiae.

Quod quare acciderit, nulli mirandum; cum per idem tempus toto poene orbe ad nomen Christi incognitum pavefacto et turbato, si qui erant ex credentibus, per latebras

1 *Colitur sancta depositio ipsius.* Anataloni igitur saeculo VI. *Sanctorum cultus* jam tribuebatur. Itaque eum et in vetustis libris Liturgicis invocatum reperimus, ut in Breviario Beroldi MSS. Bibl. Metrop. Q. IV. ante Nativ. Domini, Feria III.

sce *Anatalon*
sce *Gai*
sce *Castritiane*
sce *Kalimere*
sce *Mona*
sce *Materne*
sce *Mirocles*

Haec protuli ut et cultus nostris primis episcopis praestitus appareat, et ut ipsa Episcoporum series sincera melius constet. Ecclesia Brixiensis Anatalonem martyris officio colebat: ast S. Carolus Borromaeus Visitator, re bene perpensâ, officium de Pontifice Confessore indixit; servato tamen antiquo natalitio die, nempe VIII. Kal. Octobr. seu 24. Septembris. At Ecclesia Mediolanensis cum a Graecis accepisset festum S. Theclae V. M. patronae Ecclesiae cum Metropolitanae, quod apud illos celebratur die 24. Sept., Graecis morem gerens, Anatalonis festum distulit in sequentem diem 25.; idque jam a saeculo circiter IX. In Martyrologio Romano Anatalonis commemoratio fit his verbis: *VII. Kalend. Octobr. S. Anathalonis qui S. Barnabae Apostoli discipulus in ejus locum Ecclesiae Mediolanensis episcopus successit.*

2 *Concilia Sanctorum.* Ita appellabantur loca illa vel Ecclesiae in quibus multa martyrum corpora reposita erant. S. Gaudentius saec. IV. Episcopus Brixiensis *Basilicam* ubi recondidit Reliquias SS. XL Martyrum, *Concilium Sanctorum nuncupari oportére decernimus*: S. Hieronym. Epist. LX ad Heliodorum Episcop. memorat *Basilicas Ecclesiae et Martyrum conciliabula:* S. Ambrosius *adversus Symmach.* collegium Sanctarum Virginum appellat *Concilium Virginitatis.* Quaeritur modo ubi fuerit locus *Concilia Sanctorum* hîc nuncupatus? Alii aliud opinati sunt: ego vero nullam aliam Ecclesiam intelligi oportere judico nisi Basilicam Naborianam (seu S. Francisci). Nam Auctor certe loquitur de Ecclesia Mediolani existente: alioquin indicare debuisset cujus urbis. Basilica autem Naboriana appellabatur modo Philippaea a conditore Philippo, modo Concilia Sanctorum a Martyrum corporibus; sicut ex Catalogo Mediol. Episcopor. saeculi VI constat, ubi Cajus Anatalonis successor dicitur *depositus ad Concilia Sanctorum*; quem Caium caeteri vetusti catalogi dicunt *depositum ad S. Naborem*, Auctor autem noster *sepultum* indicat *in horto Philippi:* quod idem sonat. Quod si, etiam Ecclesiam S. Babylae *Concilium Sanctorum* appellatam reperimus, fatendum est et istam Ecclesiam et hanc ejus appellationem longe recentiorem esse, ut notat Oltrochius, *Hist. Lig. Eccl. Med.* pag. 68.

3 *Corporis gleba. Gleba* et de sepulchro dicitur et de cadavere ipso. S. Gregorius Turon. saec. VI. de Vitis SS. Patrum c. 7. refert, quum matrona quaedam S. Lupicinum mortuum auferre vellet, populum Lipidacensem restitisse *dicens: nobis corporis ejus Gleba debetur:* tum c. 8. *Quidquid pretiosius habui ibidem reliqui, id est glebam corporis mei:* B. Rampertus Episc. Brixiensis in Serm. de Inventione S. Philastrii habet dictionem, *reperire glebam, deferre glebam Patris nostri.*

4 *De corpor. nihil certi.* Cum S. Anatalo obiisset Brixiae inter persequtionis Neronianae terrores, ita occulte conditus est ut incerta apud plerosque sepulchri remaneret memoria. Attamen non defuere certa monumenta, praecipue Catalogi veteres, quae illum *prope Brixiam* jacere *in Monte S. Florani* docerent; quibus innixus demum Dominicus Episcopus Brixianus anno 1472. sepulchrum repperit, ossaque ad cathedralem transtulit; quae anno 1719. in nova cathedrali sub altari S. Antonii in arca marmo-

quasdam, et quas invenire poterant cavernas, divinis excubiis fideliter insistebant, non persecutionem immanissimam pavescentes, sed potius ob credentium augmentum passioni se ad tempus callide subtrahentes [1]. Ita factum est ob paganorum vitandum furorem, ut Christi Sacerdotis funus pretiosissimum occultae a Christianis sepulturae traderetur; praesertim cum eâ temporis instantiâ, Neroniana tempestas [2] Christianorum incrementa atrocissime depopularetur, delegatis per unamquamque provinciam tam diri operis executoribus, ut initiatae cultores Ecclesiae saevissimis quaterent furiarum suarum procellis. Quo etiam curriculo temporis Petrus et Paulus gloriosissimi sanctae fidei praeceptores, et inclyti christiani certaminis bellatores, cruento Caesaris occubuere praecepto: non quia devicti hostibus colla submisere, sed quia fuis sequacibus tam valide dimicandi normam relinquere voluere.

Caput V.

S. Gaii primae curae pastorales, Fontis baptismalis benedictio.

Gajus [3] ergo beatissimus, ut retro redeam, inter hujuscemodi nefandi temporis discrimina, velut optimus navita, editam noviter sanctae Ecclesiae lintrem, quam ad regendum susceperat, coelesti fultus praesidio, ac piae conversationis refertus remigio, ad praedestinatum vitae perennis iter dirigere, atque ab imminentibus gravissimae persequtionis turbinibus virtute, qua poterat, nitebatur viriliter defendere. Quem idcirco sanctus Anatelon, dum adviveret, ad sacerdotale provexerat culmen, ne forte, se transeunte ad Dominum, tam rudis Ecclesiae status, vel ad horam Pastore proprio destitutus vacillare inciperet. Imitatus in hoc gloriosissimi Apostolorum Principis, et sui Magistri [4] praeclarissimum exemplar, qui sub idem fere tempus jacto Romanae Ecclesiae

rea reposita sunt, piaque fidelium veneratione coluntur. Optime de Anatalone S. Mirocles Mediol. Episcopus Saec. IV. cecinit *Grut.* 1161. 6.

D · ANATHOLONI · ATTICO · SECUNDO · EPO

Petri hospes Sancteque Anatholon Domne probate
Atque idem socius Barnabae Apostolici
Qui Mediolani verbi mysteria tradens
Te jubet agnatos visere Cenomanos.
Dum tua membra metu regidis subducta tyrannis
Brixia vicino detinet in loculo:
Hic titulum et picto venerandos pariete vultus
Miroclis reddit Praestitis alma fides.
Mirocles Episcopus.

De authentia hujus Epigraphes vide quae notata sunt in Dissertat. III. Mirocles Praestes sive Antistes sciebat quidem Anatalonis corpus jacere in *loculo Brixiae vicino*, sed locum nescisse videtur: cumque corpore careret, saltem imaginem ejus coli voluit, in Ecclesia procul dubio, quae vocabatur *Concilia Sanctorum.*

1 *Passioni se subtrahentes.* Ita saec. III Pontius Diaconus in *Vita S. Cypriani* qui ad tempus se martyrio fugiens subtraxerat: « *Secessus ille non fuit formido. Aliqua de* (martyrii) *dilationis utilitate disseram....*

2 *Neron. tempestas.* De hac postea erit sermo.

3 *Gajus.* In MSS. Ambros. et in aliis vetustis MSS. passim legitur *Gajus;* saepe tamen et Caius; utramque lectionem lapides boni saeculi praeferunt. Graece Γαΐος. In MSS. Ambr. titulus capitis hic est: *Vita Gai Mediolan. Epi.*

4 *Sui magistri.* Quo modo Barnabas Cypro ortus Petro magistro usus est, eo et Anatalo pariter Cyprius. Imo Epigraphe S. Anathaloni ab Episcopo S. Mirocle apposita Anatalo-

aeternali fundamento [1], Clementem summae sanctitatis virum, cujus supra memini, suo loco statuit, et ad sacrae praedicationis exequendum vigilanti cura ministerium, satis idoneum sibi subrogavit [2] Vicarium.

Verum, ut coepta sequar, vir Deo devotissimus Gajus, ubi primum decessoris judicio, ac postmodum totius sanctae plebis amore praeelectus in praedicandi officium substitutus est, crebris insistebat hortamentis, et precibus incredulorum corda ad Fidei normam convertere, et eos, quos humani generis inimicus captivos effecerat, ad filiorum Dei aeternalem libertatem perducere satagebat. Sed quia numquam est Dei manus inops munere, quae sacrificium suscipit bonae voluntatis, confestim ei insudanti Divina Majestas opitulata est, et gaudium praebuit de suorum augmento filiorum, quem patroni, ac Magistri sui obitus non parum perturbarat. Etenim saeva licet et perquam truculenta paganorum adversus Christi fideles querela magis magisque insurgeret, nihilominus tamen quotidiana hostis invidi damna, et Christi Jesu ex idolatria clientibus lucra fiebant.

Et jam non quilibet, sed ipsi etiam consules, et quos mundi gloria reddiderat clariores, ad Christi prope-

nem appellat *Petri hospitem:* fortasse quia una cum Barnaba apud Petrum hospitatus fuerit sive Hierosolymis sive *Antiochiae* ubi *VIRI CYPRII et Cyrenaei cum introiissent, loquebantur et ad Graecos, annuntiantes Dominum Jesum.* Act. cap. XI. Porro Paulus Diaconus saec. VIII. in op. *De Episcopis Metensib.* tradit Anatalonem a Petro ipso missum ad nos, nempe ut Barnabae comitem, et episcopum Mediolani.

1 *Jacto per idem fere tempus aetern. fundamento.* Cajus in episcopum assumptus est circa initium anni 64., Neronis X. *Circa idem tempus,* inquit Auctor, *Petrus jecit aeternum Romanae Ecclesiae fundamentum.* Qua in re sequtus est Lactantium *De Mortib. Persecutor.* c. 2.: *Cum jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, Deoque templum fidele ac stabile collocavit:* tum antiquissimum Catalogum Romanor. Pontiff. editum secundo loco ab Henschenio ante T. I. Maii *Act. SS.: Hic Petrus ingressus urbem Romam, Nerone Caesare, ibique sedit cathedram episcopatus.* Sed ante istos Origenes apud Eusebium L. 3. c. 1. recensens provincias quas Apostoli evangelio illustrarunt ait: *Thomas quidem ... Petrus per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam atque Asiam ... Qui ad extremum Romam veniens cruci suffixus est. Haec Origenes* etc. Profecto si potior causa, ut vult Eusebius l. 2. c. 14. Romam veniendi Petro fuit Simonis Magi perversitas qui Romanos artibus suis fallebat, optimi scriptores Sulpitius, Philastrius, Maximus, Augustinus referunt Magum sub Nerone Romam venisse. Praecipue Ambrosius noster Serm. *De Basilicis* breve tempus ponit inter victoriam de Simone et mortem Petri: *Petrus, victo Simone, cum praecepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos infidelium; quibus eum quaerentibus... correptus, per crucem suam honorificavit Dominum Jesum.* Quibus omnibus perpensis, Pagius in notis Baronii sub anno 54. n. III. asserit, Petrum venisse Romam certe sub Nerone, sed quo Neronis anno incertum esse. Consulenda Disert. II. *de Chronologia.*

2 *Clementem subrogavit Vicarium.* Certum est Clementem ab ipso Petro ordinatum episcopum et Vicarium sibi constitutum. Id enim tradit Tertullianus *De Praescriptionib.* c. 32: *Hoc modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt: sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Joanne consecratum refert: sicut Romanorum Clementem, a Petro ordinatum edit....* Ast. « Clemens, mortuo Petro, pontificatum recusasse creditur; quare Petro successit Linus: demum Lino succedere Clemens coactus fuit. » inquit Epiphanius *Haeresi* 27.

ranter obsequium festinabant. Superioribus enim diebus sanctus Vitalis [1] insigni quidem carnis origine nobilis, sed mentis culmine nobilior, civium Mediolanensium maximus, et inter suos non mediocriter honoratus, una cum religiosissima conjuge, et filiis, atque omni familia domus, Christi Fidei sociatus est, et cum eo pariter quam plurimi majorum natu civium: in quibus et Philippus cum suis, vir apud seculum et apud Deum illustrissimus. Quod ubi vidit vir doctissimus Gaius, quod multi scilicet etiam ex senatoribus abdicato idolatriae cultu ad Christi devotissime servitium confluerent, catechizans illos, jussit continuatis jejuniis, et vigiliis secum pariter operam dare, ut adveniente Paschali solemnitate candidati invenirentur, sacri Baptismatis lavacro consecrandi: praenuntians eis et protestans, quia paulo post aliquanti ex ipsis per gloriosam essent Christi confessionem martyrio coronandi, atque ad inaestimabilem coelorum gloriam perducendi.

Est autem hodieque haud longe ab ejusdem urbis moenibus, ad plagam australem, juxta viam quae ducit Ticinensem urbem, Fons [2] quidam vitreas, ac salubres emanans aquas. Ad hunc ergo, peracto jejuniorum cursu, venerandus Praesul cum universis, qui si-

[1] *S. Vitalis Mediolan. maximus.* Similia tradit *Passio S. Vitalis* quam ex vetusto MSS. refert Papebrochius sub die 28. apr.: *Gloriosus Domini palaestrita S. Vitalis, mediolanensis christianissimus indigena civitatis, vir magnae prosapiae, et inter primates non ultimus ordine .... Conjux hujus beati Martyris, Valeria nomine ...*

[2] *Est Fons ad viam Ticinensem.* Fons iste S. Barnabae nomen accepit quasi primus ibidem sacros baptismi ritus perfecerit. De eodem fonte leguntur apud Andream Alciatum carmina S. Protasio sec. IV. Episc. tributa, qui illum fortasse paganorum injuriis profanatum, precibus et sacello superaedificato sanctificavit.

Hunc fontem tibi dedicat, atque Deo super undis
Consecrat impositam famulus Protasius aram,
Quâ Ticina silex et Martia Porta, beate
Barnaba, te ligures advectum nuper in oras
Audiit hortantem cœtus et rite lavantem.

Haec eadem carmina refert doctissimus Fontana mediolanensis saeculo XVI., in libro *De Archiepiscopis Mediolani* MSS. Trivult. Biblioth. testaturque se ea deprompsisse ex volumine quodam saxonico ab urbæ Mediolano in clade Ænobarbi sublato. Eadem refert et Bescapè Episcopus Novariensis in sua *Historia Mediolan.* paulo post Fontanae mortem scripta. De hoc Fonte et de ejus virtute febrifuga habemus historicum documentum etiam saeculi X. circiter ab Auctore Vitae S. Eustorgii: qui de S. Eustorgii et trium Magorum Ecclesia loquens ait: *ubi videlicet est Fons celeber et sanctissimus, in quo baptizabantur Sancti ad Christi fidem venientes: cujus aqua salubris tantam fertur olim divinitus accepisse virtutem, ut nonnulli febricitantes cum ex ea biberent a suis cito liberarentur febribus et pristinam reciperent sanitatem.* Cum vero temporum lapsu hic Fons inhonorus et oblitus jaceret, Carolus Bescapè, saec. XVI. labente, dolebat secum ipse scribens in *Hist. Mediol.*: *Ibi adhuc Fons manet ubi dicitur S. Barnabas primo mediolanenses baptizasse, sacrificium obtulisse, et populum docuisse: et, quod doleo, manet sine cultu aut ornamento aliquo.* Itaque Archiepisc. Card. Fridericus Borromaeus, in quo doctrina cum pietate certabat, anno 1623. novam Fonti aedem superinduxit, et saepe in eo baptismatis sacramentum hebraeis conferebat. Rite ergo in hymno S. Barnabae Ecclesia mediol. canit.

Tuere quos Fons et tuus
Cinis sepultus consecrat.

Sed heu Fons et aedes nunc tinctilis officina est! De Fontium baptism. benedictione et de antiquis baptisteriis Mediol. vide *Notas Fusior.* N. 2.

gnati erant, accedens, flexit genua sua ad Patrem Domini Jesu Christi, et invocatâ Sancti Spiritus ex more praesentiâ, fontem ipsum solemniter benedixit, cunctosque Cathecumenos in Trinitatis unicae nomine tingens[1], manus impositione sanctificavit. Postremo divinis in commune libatis mysteriis, ac prece iterum fusa, conditori et gubernatori Deo suas oves commendavit. Ex eô, tam clero quam fidelium plebi toto episcopatus ipsius tempore, quia Ecclesiae conventui sacra domus ob adversantium paganorum tumultum non potuit aedificari, ibidem ad celebranda coelestia Sacramenta [2] moris fuit convenire. Cujus benedictionis affluentia pristinam ad praesens servavit gratiam; adeo ut plures aegrotantium, si quos vi febrium aestuantes fontis praedicti undam potasse contigit, nec mora, integerrimam sese medelam hausisse gavisi sunt.

Caput VI.

S. Gaius Romam se confert ad Apostolos et Apostolicos viros.

Interea Praesul Dei reverentissimus Gaius maximo, ut fertur, ductus amore visendi magnificum Apostolorum Principem Petrum, et sui quondam magistri Barnabae collegam, et gentium lumen Paulum, seu etiam conferendae gratiâ praedicationis suae cum Clemente sanctissimo, caeterisque Apostolorum pedissequis, anno episcopatus sui quinto [3], qui erat Neronis ultimus, ad urbem Romuleam, hoc est ad genitalem patriam fertur tramitem direxisse. Quum ecce in medio fere itineris sensit per spiritum eos, quorum maxime anhelabat desiderio, immanissima Caesaris atrocitate recens fuisse peremptos [4]. Concidit illico, et obortis lacrymis graviter ingemuit; quumque interrogaretur a commeantibus, quam

1 *Tingens*, id est baptizans. Latini veteres pro graeca voce *baptizo* uti mallebant voce latina *tingo*. En tibi Tertullianum qui in Libro de Baptismo passim *tingere* pro *baptizare* usurpat. *Quos Petrus in Tiberi tinxit.... Erit accipiendum* Ipse vos tinget, *pro eo quod est, per Ipsum tingemini.*

2 *Coelestia sacramenta.* Velim animadvertas in toto hoc de divinis mysteriis sermone, veterum Patrum phrases. *Candidati in paschali solemnitate: lavacro consecrandi: divina in commune libare mysteria: qui signati erant* id est jam baptismi, et confirmationis signum christianum indelebile acceperant; etc.

3 *Anno episc. sui quinto qui erat Neronis ultimus.* Nempe anno aerae vulgaris 68; quo anno, Conss. Silio Italico et Galerio Trachalo, die nona Junii, Nero e vita excessit. Ab hoc autem regrediendo si enumeres annos quinque, habebis annum aerae vulg. 63. desinentem, vel 64. ineuntem, quando Gaius plures menses *ante Anatalonis decessum constitutus fuit antistes* ut dixerat Auctor capite IV. Quae fusiora videas in Dissertat. II. de Chronologia.

4 *Fuisse peremptos.* Ergo, juxta Auctorem qui annus fuit *ultimus Neroni* idem et Petro Pauloque, scilicet 68. Quae quidem fuit sententia Eusebii in *Chronico* et Hieronymi *De Viris Illustr.*, asserentium Apostolos supplicio confectos *anno Neronis ultimo id est decimoquarto.* Quod si ita res fuit, cum Nero obïerit de nona Junii, consequeretur Apostolos martyrium consummasse eodem quidem Neronis anno sed ante diem Junii nonam Neronis emortualem. Profecto Laterculus Polemii Sylvii exaratus saec. V. sic illorum mortis diem recenset: *VIII. Kal. Martii* (22. Febr.): *Depositio S. Petri et Pauli.* Ast Pagius, re bene perpensâ, n. IV. anni 67.,

ob causam ita fleret; *Heu proh! dolor*, inquit, *gemina orbis totius luminaria hodie Neroniana extincta rabie Romana tellus intercipit: et nisi subveniat omnipotentis Dei majestas, cunctis jam nunc per orbem Christicolis diversissimas Cæsar impiissimus calamitates inrogare incipiet. Properemus ergo quantocius, et eorum, si forte supersunt inhumatae, condignis sarcophagis Reliquias invehamus; sin vero conditae fuerint, saltem venerandis tumulis supremum flebiles redhibeamus honorem. Atque utinam nos supra eorum sacratissima busta hostilis inveniens mucro, obtruncare non differat, ut vel in extrema triumphi eorum sorte participes inveniamur.*

Haec effatus, ubertate lacrymarum aestuantia labra inrigabat, non jam diuturni laboris, non pedestris reminiscens itineris. Die tamdem octavo Romam cum sociis attigit, ubi resalutatus a fratribus, de glorioso confestim Apostolorum excessu perquirere, vel quid de eorum sacratissimis corporum margaritis fecerint, anxio nimis pectore sciscitari coepit. Protinusque rei gestae comperit textum, qualiter Caesar nefandissimus unum eorum cruci, alterum spiculatoribus gladio addixerit; quin et eorum Deo dicatas exuvias, die quo eos ex hac vita migrare contigit, diligenti cura fuisse reconditas.

Conferens ergo cum Clemente, et aliis Beatorum Apostolorum Vicariis [1] doctrinae suae tenorem, aliquanto tempore cum ipsis fuit. Qui, licet clanculo ob perfidorum infidias, evangelicis praedicationibus quibuscumque poterant persuadebant, eruentes animas multorum de manibus principis tenebrarum, et filios lucis de reliquo statuentes.

Caput VII.

Persecutio Neroniana: Martyres Mediolanenses praecipui.

Sed ut pauca de Neronis crudelitate subdam, ad exaggerandam impietatis suae magnitudinem, suae nequitiae per unamquamque provinciam [2] direxerat Praesides, ut chri-

secundum Baron. 69. ait.: « deprehendi, nihil certi statui posse de die quo Principes Apostolorum martyrium fecerunt. » Item quo ad annum variant doctorum sententiae ab anno 65 usque ad 70.

1 *Visendi Petrum, seu conferendi cum Clemente et aliis Apostolor. Vicariis*: scilicet Lino et Cleto qui tres a Petro episcopi ordinati fuerant et adjutores sui, vicariique constituti. Vide antiquissimum morem eumque sanctissimum visitandi Pontificem summum, Ecclesiam Romanam, limina Apostolorum. Praeerat Gajo exemplum ipsiusmet magistri Barnabae et Pauli: *ad Galat.* c. 1. c. 2. *Post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum et mansi apud eum diebus quindecim... Deinde post annos XIV. iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba et contuli cum illis evangelium: ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.* Quo in loco ubi Vulg. *videre* Petrum, graecus habet ἱστορῆσαι, scilicet videre eo modo ut et persona et ejus spiritus intime cognoscatur et memori mente reponatur. Itaque Episcopi a priscis temporibus adire limina apostolorum jubentur. Dist. 93. cap. *Juxta sanctorum.*

2 *Per unamquamque provinciam.* Non Romae solum, ut quidam etiam catholici scriptores nimis audacter asserunt, sed in toto orbe

stiani nominis cultores vario poenarum genere dissiparent, delerent, atque perimerent. In quibus Anulinum [1] velut capitalem pestem, secundicerium [2] sibi esse praeceperat, datâ illi in Christianos consulari offulâ, quatenus Italicarum partium potestatem accipiens christianae sectae et nomen radicitus evelleret, et germen disperderet; ita ut nec vestigium aliquod de ea sub astra remaneret.

Mox namque ut Mediolanium metropolim Italorum intravit, jussit diligenter investigari, siqui ibidem ex hac superstitiosa secta magistri adventassent. Responsumque est illi ab Ædituis, quod multi essent etiam ex primatibus, qui non diebus, non noctibus ab istiusmodi doctrinis cessare vellent, persuadentes populo, ut derelictâ deorum culturâ, in Jesum quemdam, Nazaraeus qui dicitur, credere debeant; adeo ut non parva tam nobilium, quam vulgi multitudo consenserit. *Quapropter nisi tua eos,* inquiunt, *Praeses optime, industria revocet, totas ad suam perfidiam Italiae concitabunt regiones. Et quis posthac diis patriis, ac divinis subveniet legibus?* Missis ergo satellitibus extemplo rapuerunt generosae indolis viros, et pubescenti forma nitidos, alios arctissimae tradentes custodiae, alios inaudita saevitia jugulantes. Nulla humani visceris miseratio, nulla sexus, aetatisque discretio: cunctos passim Christi nominis confessores ferro, flammis, flagellis, et equuleis ubique laniantes, et semiusta bestiis cadavera ad escam sub nudo axe linquentes.

Inter multos autem, qui his temporibus in Christi exercitu ad mortem usque certarunt, beatissimos extitisse germanos comperi, Protasium videlicet et Gervasium [3] sacratissi-

christiano Neronis persecutio grassata est. Orosius inter caeteros audiatur L. VII. c. 7. *Auxit molem facinorum Neronis impietas in Deum. Nam primus Romae christianos suppliciis et mortibus adfecit ac per omnes provincias pari persecutione excruciari imperavit, ipsumque nomen exstirpare conatus.*

1 *Anolinum consulari offula.* Consularis proprie dicebatur qui aliquando consul fuit: Augustus tamen *Consularis* titulum in plures honoris causâ traduxit, quod et nonnulli post ipsum imperatores fecerunt. MSS. Ambrosianum habet *Anolinum:* quare Galvaneus Flamma qui in *Manipulo Florum* fere ad verbum Auctore nostro utitur, dicit: *Imperator Anolinum secundicerium suum* etc.: ita et Acta vetustissima SS. Nazarii et Celsi, ex MSS. Puteano Vaticanae: graeca Menaea Ἀνουλῖος. At vero Acta posterioris aevi pro Anulino habent *Paulinum;* fortasse eô quod vox *consularis* pro vero consule sumpta fuerit; his autem persecutionis Neronianae temporibus, scilicet anno 66. revera consul fuit C. Svetonius Paulinus.

2 *Secundicerium,* id est secundo post principem loco rectorem. Vox orta ex usu scribendi nomina in ceratis tabellis: unde *Primicerius domesticorum* in Cod. Theodosiano L. 12. tit. 17. Leg. 2. *Primicerius Lectorum Pollio.* Ruinart *Act. Martyrr. In equitum schola secundicerii locum adeptus.* Justinian. Cod. Lib. 12 tit. 17 leg. 4. Ita in Legibus Gratiani, Valent. Theodosii legitur *tertiocerius, quartocerius.*

3 *His temporibus Protas. et Gerv.* Non est dubitandum hos martyres ad Neronis tempora pertinere. Nam S. Paulinus Episc. Nolanus saec. IV. canens eorum inventionem a S. Ambrosio peractam, tempus martyrii remotissimum innuit, dicens:

Quosque suo Deus Ambrosio post LONGA revelat
SAECVLA Protasium cum pare Gervasio.

Ipsemet S. Ambrosius in Serm. de his Martyrib. inquit invenisse *mirae magnitudinis viros ut*

mos Martyres Domini. Nam pater ipsorum cujus supra memini, sanctus Vitalis [1], fortissimus athleta Christi, jamdudum [2] pro Christi confessione diversa per supplicia triumphalem [3] adeptus fuerat palmam. Mater quoque Deo devotissima Valeria simili exitu mortem commutarat in gloriam. Horum [4] ergo, ut dicere coeperam, parentum beatissimorum gloriosum filii

prisca aetas ferebat: Graeci autem in Menaeis die 14. Octobr. memoriam celebrantes SS. Nazarii, Celsi, Gervasii et Protasii legunt: ὦτοι ἤθλησαν μετὰ τὴν τελείωσιν τῶν ἀγίων ἀποστόλων ἐπὶ Νερῶνος του Βασιλέως: *hi certaverunt post consummationem SS. Apostolorum sub Nerone Imperatore.*

1 *Pater ipsorum Vitalis, mater Valeria.* Hos fuisse parentes Gervasii et Protasii MM. docet *Epistola ad fratres Italiae* in Appendice Opp. S. Ambrosii de qua infra: idem docent Acta martyrii eorum quae ex MSS. Caenobii Bodecensis protulit Papebrochius ad 28. aprilis; et conjcere licet ex templo magnifico Romae a S. Innocentio I. PP. condito in honorem quidem SS. Gervasii et Protasii sicut refert Anastasius, at etiam in honorem S. Vitalis ut omnia monumenta testantur, ita ut jam a vetustis saeculis Basilica S. Vitalis dicta sit et Titulus Cardinalitius et Statio solemnis sub eodem S. Vitalis nomine.

2 *Jamdudum palmam.* Papebrochius in Comment. de SS. Gervasio et Protasio sugillat hoc *jamdudum* scribens: « si Auctor intellexisset sub Nerone persecutionem solummodo triennium duravisse, abstinuisset illo *jamdudum* ». Miror virum doctissimum nescisse, *jamdudum* dici « de tempore non longo, de re incepta et nondum desita », ut inquit Forcellinus; ita ut Cicero non dubitaverit illo significare tempus ab una hora vel semihora elapsum: *Vocat me aliò jamdudum tacita vestra exspectatio:* Oratio pro Cluentio c. 23.

3 *Triumphalem.* Vitalis quidem inter martyres celeberrimos est. Venantius Fortunatus saec. VI. Episcopus Pictav. in S. Martini *Carm.* Lib. IV. Vitalem *martyrem egregium* appellat; et in L. I. cap. 2. *Poematum* ejus martyrium ita refert.

Vitali . . . . qui vivus arenis
Defossus, meruit perdere mortis iter.

Nam primum equleo tortus et multimode cruciatus deinde in foveam defixus et arena et saxis obrutus Ravennae consummatus est. Valeria autem Ravennâ Mediolanum revertens a Sylvani cultoribus ita vulnerata est ut triduo postea Mediolani migraret ad Dominum.

4 *Horum filii.* Scilicet Gervasius et Protasius. Sunt tamen qui his duos alios filios adjungere non dubitant, nempe Aurelium et Diogenem, pari martyrio coronatos. In Litaniis triduanis quae antiquissimi ritus sunt, ubi ad Ecclesiam S. Valeriae ventum est, invocantur

S. Valeria
S. Aureli
S. Diogenes

Hae autem preces leguntur in Codice MSS. Bibl. Ambros. saec. XI; et in alio adhuc vetustiori. Cum anno 1785. destrueretur Ecclesia S. Valeriae in subterranea aede inventa est, inter plures lapides ephigraphicos priorum saeculorum, urna in cujus latere haec insculpta erant, quae certe ad saeculum III, vel IV pertinent:

...ET A DOMINO CORONATI SVNT BAEATI
CONFESSORES COMITES MARTYRORVM
AVRELIVS DIOGENES CONFESSOR ET
VALERIA FELICISSIMA · BIBI · IN DEO FECERVNT
SIQVIS POST OBITVM NOSTRVM ALIQVEM
CORPVS · INTVLSERINT NON · ETFVGIANT
IRA DEI · ET · DOMINI · NOSTRI


Qui fuerint illi *coronati* fortasse adnotatum erat in urnae operculo quod, substituto alio recenti, jamdiu periit. Locus et cultus ibi S. Valeriae praestitus et traditio Mediolanensium argumento sunt, hanc Epigraphen loqui de eadem S. Valeria cognomine Felicissima. At vero Aurelius

GERVASIVS



PROTASIVS





Milano Priv.ª e Prem.ª Litog.ª Pagani.

in nullo degeneres exemplar sequuti, neroniani proelii constantissime victores effecti sunt. Nec plumbatis caedi, nec equuleo [1] torqueri sat fuit, nisi etiam caput spiculatori pro capite martyrum Christo gratanter offerrent.

Eodem fere tempore et alii quamplurimi jam tum milites Christi, etiam ex romanae urbis nobilibus, Mediolani velut in regia urbe certantes, martyrio coronati sunt; cum quibus magnificus testis Christi Nazarius [2] cum assecla parvulo [3], nomine Celso, post multimoda tormentorum genera, quae

Diogenes unus tantum esset. Ast Alcuinus saec. VIII. in Opusculo *Opp.* T. II. P. 2. Append. 3. loquens de Corporibus sanctis Mediolani jacentibus, facta mentione de S. Valeriae Ecclesia: *ibi*, inquit, *pausat Baleria Mater sanctorum Gerbasi et Protasi, sanctus Diunius* (vel Diogenius) *martyr, sanctus Aurelius martyr.* Videntur itaque duo fuisse: utrum vero filii Valeriae, nemo divinari poterit. De tota hac re adeas PP. Cisterciensium *Antichità Longob. Milanesi Dissertaz. V.*

1 *Plumbatis, equleo, spiculatori* etc. S. Ambrosius refert invenisse *cruorem triumphalem, caput humeris avulsum; signa convenientia* martyrii, ut ipse judicat: quibus innuebat Protasium et Gervasium utrumque capitis abscissione martyrium subiisse: caetera se nescire. Certum est tamen aliqua de his martyribus a veteribus scripta fuisse: nam ipse Ambrosius ait: *nunc senes repetunt se horum nomina audivisse, titulumque legisse.* Itaque credendum est, aliqua de genere martyrii illorum post Ambrosium in lucem venisse, sicut et de S. Nazario; ex quibus Auctor suam historiam contexuerit. Neque aliquis credat eum notitias deprompsisse ex apocrypha de illorum martyrio *Epistola ad Fratres Italiae* S. Ambrosio falso tributa. Nam vide quantum Auctor ab illa Epistola discrepet.

AVCTOR.	EPISTOLA ad Fratres It.
Anolinus consularis	*Aspasius Comes*
Equleo torqueri	De equleo nulla mentio
Utrumque *plumbatis caedi*	Gervasium solum *plumbatis coesum quamdiu exhalaret spiritum.*
Uterque obtulit caput spiculatori.	Protasium *fustib. caesum, capite plexum*

Auctor itaque nihil ex illa sumpsit Epistola quae tamen postea jam a saeculo VI. desinente excepta est tamquam Ambrosii foetus; adeo ut S. Joannes Damascenus circa ann. 726. in Orat. *de Imaginib.* eam velut Ambrosii testimonium in re dogmatica proferre non dubitaverit. Atqui certe Auctor ex ea sumpsisset si jam illa exstitisset. Ecce aliud argumentum de auctoris aetate saeculum VI. non excedente. Exhibeo imagines Gervasii et Protasii omnium antiquissimas ex musivo adhuc exstante in sacello S. Satyri Basilicae Ambrosianae adnexo: quod musivum ad saec. V. pertinet.

2 *Nazarius cum Celso.* De vita et de genere mortis Nazarii neque Ambrosius neque Paulinus diaconus aliquid dicunt. Ast S. Ennodius Papiae Episcop. saec. V. exeunte, ita de eo canebat.

... In stirpe Nazarius bona
De morte lumen addidit.
Nerone felix Principe
Diversa perpessus mala
Lustravit orbem....
Mediolanum mox petit
In qua triumpho nobili
Carnis ruinam reppulit

id est triumphali martyrio carnem perituram deposuit et non perituram reddidit. *Stirps bona,* nobilitatem ab Auctore assertam confirmat. *Nerone principe diversa perpessus mala* probat verissimam esse martyrii epocham ab Auctore assignatam illis verbis *eodem fere tempore*, nempe *eodem* persecutionis neronianae tempore, ac *fere eodem* cum Protasii et Gervasii morte. Caeterae vitae et mortis circumstantiae hic prolatae consentiunt cum Sermone de s. Nazario et Celso in Append. Opp. S. Ambrosii, qui Sermo a Bollandianis *aestimatione ac fide dignus* judicatur, et a nonnullis doctis viris tribuitur S. Maximo Taurin. Episcopo, a Tillemontio S. Leoni Papae, ab Albano Butler S. Gaudentio Brixiensi Episcopo, tribus saeculi V. ineuntis Patribus.

3 *Cum assecla parvulo Celso.* Omnes vetustissimae memoriae ac ipsummet Hieronymianum martyrologium Celsum appellant *puerum*, vel *parvulum*. Fuerit ergo Celsus aetate tenellus

illis pro christiana fide saevus Nero intulerat. Nam et atrocissime fustibus mactati, et marinis immersi fluctibus, belluisque in escam dati, quum illi econtra fortiter perstitissent, et mirabiliter in cunctis tropheum suo Regi Christo reportavissent, tamdem capite truncati, caput omnium Christum amittere non potuerunt.

Caput VIII.

S. Gaii sollicitudo pro grege servando et augendo.

In his et hujuscemodi praenominatus praesul Dei Gaius turbinibus constitutus, suscepti pontificatus sedem firmiter tenuit, laudabiliter rexit, et nunc idolatres prae zelo summi Dei vivi ac veri duriter increpans procedebat in publicum, nunc infirmis, adhuc tenellis, Ecclesiae membris compatiens, latibula penetrabat; non sibi, sed suorum in hoc facto necessitatibus consulens filiorum. Qui usque adeo ejus inhiabant praesentiae, ut nec ad momenti volatilis brevitatem [1], fore absque suimet respectu patris aequanimiter ferrent; dum in illo novae lucis jubar indeficiens, ac suae salutis fontem purissimum et splendidum, vultibus mellitoque gutture palam cunctis digito praemonstrarent. Quamobrem divinorum praedicamentorum epulis, velut affluentibus ferculis saginati, necnon suavissimis assiduae lectionis atque instantissimae orationis poculis, quasi ferventis lyei pateris inebriati, corporeos pastus pro nihilo ducebant; satius rati mortis cum illo, vel pro illo subire dispendium, totiusque jacturam penuriae [2], quam perfrui ambroseo redolentibus favore tuccetis [3], aut infandi Caesaris annuum suscipere donativum [4].

et juvenculus. Ast apud Latinos *puer* appellabatur etiam juvenis annorum triginta et amplius ut apud Grut. 1053. 4. *Helias* PVER QVI BIXIT ANNIS TRIGINTA ET QVINQVE, *consulatu M. F. Stilichonis* II. id est anno 405.: apud Mabillon. Supplem. Diplomat. p. 15. *Victorinus* PVER QVI BIXIT ANNOS XXXVII. M̄. X. *Flaviis Lupicino et Jobino couss.* id est an. 367. Saepe vero apud Latinos *Puer* significabat *famulum, servulum.* Apud christianos autem *Puer, Infans* idem quandoque valebat ac neophytus. De S. Celso consulendum est opus egregium Bugati, *Memorie di S. Celso.* Milano, 1782. Ex eodem Bugato retuli duas saec. V. imagines Nazarii et Celsi ex marmore ad usum lateris altaris exculptas, quod visitur in aedibus Trivultianis, anno 1776. in veteri canonica S. Mariae Scalensis ad magnam profunditatem detecto. Uterque Sanctus habet Agnum ante pectus qui Symbolum est et Christi occisi et martyrii. ΑΓΗΟΥϹ ΝΑΖΑΡΗΟΥϹ, Ο ΑΡΝΟϹ Ο ΥϹ ΘΥ: *ἄγιος Ναζάριος ο Αρνος ο ὕιος του θεου*, sanctus Nazarius, Agnus filius Dei. ΑΓΗΟΥΟϹ ΚΑΙΛϹΟΥϹ Ο ΑΡΝΟϹ Ο ΥϹ ΤΟΥ ΘῩ, *ἄγιος Καιλσος ο ἄρνος ο ὕιος του θεου*, sanctus Celsus, Agnus filius Dei.

1 *Momenti volat. brevit.* Ita MSS. Ambros.: male Murator. *admonenti volatilis vitae brevitatem.*

2 *Jacturam penuriae:* id est incommodum, calamitatem penuriae totius. Sic infra, *calorisque jacturam.* Columella in praefat. L. I. ait: *minus jacturae paterentur res rusticae.*

3 *Tuccetis.* Tucceta sunt fercula carnis commixtae cum aliis exquisitis obsoniis. Grammaticus Fabius Fulgentius Planciades in Opusculo, *De Priscorum Sermone* vel *Vocum antiquarum,* sic definit: *Tucceta dicuntur escae regiae: sicut Callimorphus in Pisaeis:*

... *ambrosio redolent tucceta sapore.*

4 *Annuum Caesaris donativum.* Dona quae Imperatores largiebantur militibus appellaban-

Nec solum vero plebs credula [1], verum etiam eorum aliquanti, qui necdum fidei jura libaverant, sanctum Virum totis praeconiis elatum [2], anhelo spiritu saepissime requirebant. Quibus ille, ut prudens archiater volens, diversissimis valetudinibus [3] fatigatos diversa per cataplasmata medicando, revocare sospitati, vario utebatur doctrinae malagmate [4]: alios coecitatis caligine oppressos ad verum lumen invitans, alios cor durum infidelitate gestantes, divinae caritatis igne obliquare [5], ut solicitus artifex, satagens. Quorum nonnulli, coecorum more, solis radios cum ipso adventasse plaudebant, quum ipsi, obtectis ante luminibus, lucis aureae verique solis in totum forent inexperti [6].

Quidam autem, quorum erat insanior mentis intuitus, stupendas ab illo in Christi Jesu nomine morborum curationes effectas, vecordibus oculis intuentes [7], Delphicum Apollinem verum, inter homines apparuisse clamabant. Sed ille, ut dicere coeperam, vanissimam ipsorum incusans insaniam, sedule commonebat, Deum coeli adorandum, qui et soli radios, et cunctis in orbe mortalibus optatam suâ tribueret censurâ salutem; idola deneganda ut monstruosas miserorum imagines; et non modo Apollinis, sed nec cujuspiam daemonis, magis quam Dei, aliquid valere praestigia ubi Christi nomen ab ipsius fuerit cultoribus invocatum. *Cur quaeso,* inquit, *prudentius nequaquam animadverti libet, metalla esse fribula* [8], *surda, muta, atque omni sensu vacua, et non deos, quibus vestras submissi cervices inflectitis? Non pudet, o generosi cives, tantae coecitatis, et amentiae? ut quae ad hu-*

tur *Congiarium*, quae populo *donativum*. Has autem donationes plerumque comitabatur superstitio pagana et idolatria: quare christiani eas respuebant.

1 *Plebs credula*, nempe *credens*, *fidelis*, *christiana*. Vide pag. 10. notam 2.

2 *Praeconiis elatum*. MSS. Ambr. *latum:* Papebroch. *elatum:* utrumque recte: nam *praeconiis efferre* vel *ferre* idem est.

3 *Diversissimis valetudinibus fatigatos*. Vox *Valetudo* saepe pro *morbo corporis* adhibebatur. Svetonius *in August.* c. 81. *Graves et periculosas valetudines expertus est.* Archiater autem est caput medicorum.

4 *Malagmate:* Plin. L. 25. c. ult. *Non fecit cerotum, malagmata, emplastra parens illa ac divina rerum artifex.* Ex μαλάχη *mollis*.

5 *Obliquare:* id est liquidum reddere et molle.

6 *Inexperti*. MSS. Ambr. *inexpertes:* ubi *in* pleonasmus esset, et vox ab *expers* oriretur, scilicet *sine parte*. Alii *inexperti*, scilicet qui nondum experti fuerant.

7 *Morbor. curationes*, *Delphic. Apollinem.* Inter multa Apollinis attributa illud recensebatur exercendi medicinam et curandi morbos, quam scientiam et virtutem filio Æsculapio communicaverat. Haec de Apolline doctrina et fides etiam apud Mediolanenses vigebat. Nam Legiuni in agro Mediolanensi sequens reperta est epigraphe, quam ex Castillionaeo edidit Gruterus 38. 9.

SACRVM
NUMINI
APOLLINIS
L. NAEVIVS
SECUNDINUS
PRO
SALUTE SUO
RUM
. . . . . .
V. S. L. M.

8 *Fribula*. Isidorus L. 9. *Originum*, c. 8 ait: *proprie Fribula vocantur fictilia vasa inutilia.*

manum condita sunt famulatum, his miserabile impendatis homines insensati obsequium? Sed, ut vere miseram fatear servitutem, derelicto scilicet vero et omnium rerum conditore optimo, sepositaque libertate, sponte vos subjicitis daemoniacae dominationi, quae vos secum pariter aeternali faciet igne cremari. His et talibus ad se advenientes nunc invectionibus redarguens, nunc quoque mellifluis admonitionibus demulcens, plurimos ad meliorem immutavit, conversis animis, admirationem. Erat videre mirandum subito factum divino munere vadimonium, ut qui ex idolatriae saltibus [1] veternosa diu radice vitiati, arbores infructuosae accesserant, mox per amplissimam Christi potentiam novellae plantationis efficerentur olivae, quae sacro usui fructus redhibentes pinguissimos, longe dissimiles inter suos cespites demum existerent.

Sancto enimvero Antistiti ad id instantius exsequendum otii pauxillulum superna, fidelibus opitulata suis, largiri dignata est pietas: dum eo tempore incesti Neronis effera rabies, immanisque impietas execrabili nece finiri visa est. Ipse [2] denique, ut pauca de multis inferam, inextricabilibus circumventus undique malis, et post innumera, nefaria, et impura flagitia, quae etiam ad ipsius divinitatis injuriam animo infausto conceperat, opere nequissimo perpetrarat, desertus autem ab omnibus, quotquot in obsequio sui sceleris complices et ministros habuerat, eo quod esset non solum in externos infandus homicida, sed et in suos acerbissimus parenticida, fugit ex urbe, sui exercitus odia et conjurationes vehementer reformidans; veritusque ne prodi a quoquam posset, sua semet poena miserabiliter interemit [3], dignum suis meritis vitae adeptus exitum. Quamobrem parvissimum illud roris coelestis stillicidium in medium aestuantis defluens incen-


1 *Saltibus:* alii *cultibus:* at MSS. Ambros. habet *saltibus:* idque recte; nam loca sylvestria, perfectam antithesin opponunt culturae. Item optime MSS. Ambros. *diu*, non *de* ut alii.

2 *Ipse:* scilicet Nero.

3 *Semet interemit.* Orosius L. 7. *At vero Nero postquam Galbam in Hispania imperatorem creatum ab exercitu cognovit, totus animo ac spe concidit... hostis a senatu pronuntiatus et ignominiosissime fugiens, ad quartum ab urbe lapidem se se ipse interfecit.* Periit autem Coss. Silio Italico et Galerio Trachalo, id est anno 68., die nona Junii. Hujus Trachali memoriae, qui destruendo tyranno partem habuisse credendus est, aliquis mediolanensis civis vel melius ipsa civitas devoti et grati animi ergo hanc posuerat epigraphem, quam in Basilicâ Portianâ exsistentem Donius excripsit, Muratorius edidit pag. 306. *Thesaur. Inscript.*

m. galerio m. F. TRACHALO
trib. PLEBIS · PR . COS.
vii VIR · EPVLONVM
pro COS · PROVINC · AFRIC ·
p ATRONO · D · D ·

Tanti persecutoris imaginem juvat hîc proferre ex numismate argenteo quod prope Cisnusculum ad oram Navigii Martesaniani situm nuper inventum est: pertinet autem ad Seminarii pluteum monetarium.



Plane concordat cum iis quae de Neronis figura

dii, extingui ad tempus ac tepe-ſieri fecit circumquaque ſurentium ſlammas ignium. Ac velut viator qui-slibet, diutinis meridiani solis aesti-bus torrefactus, guttam si forte aquae vivo de saxo stillantem ad medium ſerme itineris anhelus offendat, et haustâ refocilletur aliquantulum, con-festim residuum viae, calorisque ja-cturam celerius fortiusque, sit licet pusillanimis, exsolvere incipit; haud secus excitatae neronianâ feritate per-sequtionis, neronianâ identidem clade allata [1] temperies, stabiles christifide-lium incitavit ad majora quaeque ac duriora perferenda, imbecilles quos-que ac debiles non parum praesenti temporum lenitate coaluit [2].

Caput IX.

S. Gaii transitus: Domitiani Imp. persecutio.

Verum ut iis, quae alio inten-dunt, omissis ad proposita recurrat oratio, saepe nominandus Praesul Domini Gaius, peractis in episcopali ministerio XXII. annorum [3] curri-culis, quibus non tantum Mediola-nensium, sed et circum circa adja-centium urbium populis pastoralem solicite, ac strenue curam impendit, post varios victricium sudores certa-minum (nam et pallanter ab aedi-tuis idolorum fuerat mactatus fusti-bus, et paganorum incestis manibus persaepe ab urbis moenibus violen-ter abstractus), quum ipse suas e di-verso ad coelum attollens palmas, assidue pro eis Christum Dominum supplicaret, et si quos aliqua cor-reptos calamitate videbat, illico mo-dis, quibus poterat, subveniret: tan-dem expleto agonis sui excursu mi-gravit e mundo, reposita sibi in coelis praemia possessurus. Transiit vero pridie Kalendarum Januariarum [4],

tradit Svetonius: *Fuit corpore maculoso et foetido... oculis caesiis et hebetioribus, cervice obesa....*

1 *Allata:* alii *lata;* quod idem est.

2 *Coaluit:* ex *coálere;* scilicet confovit, corroboravit.

3 *XXII. annorum curric.* Cum Auctore concordant omnes Catalogi veteres, Gaium sedisse annos vigintiduos. Vide Dissert. de chronologia.

4 *Transiit prid. Kal. Januar., sepultusque in Horto Philippi.* Locum sepulturae Catalogus Ambros. sic effert; *Depositus ad Concilia Sanctorum:* at vero Catalogus MSS. Metrop. Bibl. *depositus ad Sanctum Naborem;* quae omnia idem dicunt. — Quoad diem mortis, Catalogus Ambros. caeterique notant Gaium *depositum VI. Kal. Octobris,* scilicet 26 sept.: at noster Auctor signat diem Decembris extremum, scilicet *Pridie Kalendarum Januariarum,* et cum eo concordat Passionarium antiquum Naborianae Basilicae apud Bosca Martyrologium Mediolanense; tum Alciatus Andreas in Historia Patria. Quid itaque? Ego quidem sentio et judico diem ultimum Decembris fuisse Gaio verum mortis diem, quo, ut inquit Auctor, *migravit e mundo; transiit:* die autem vigesima sexta septembris aliquam translationem antiquitus fuisse peractam, quae translationes saepe appellatae inveniuntur *Depositiones.* Neque veri absimile est, corpus S. Gaii ab *Horto Philippi* quod et *coemeterium Gaii* idcirco appellabatur quia in ipso Gajus conditus fuerat, postea, aedificatâ in ipso Horto Ecclesiâ Naborianâ, ad eam translatum fuisse; idque VI. Kal. Octobris. Interim animadverte Auctoris antiquitatem scribentis ante Catalogos omnes, utut antiquissimos; quippequi memorat diem mortis Gaii, non translationem, quae nondum facta fuerat. De s. Gaio omnia collegit chronica apud Mich. Pizzolpassum MSS. Ambros. Biblioth. H. 56. *Beatus Gaius, Barnabae discipulus, Romanus, anno Dom. LXIIII. sedit annos XXII. Benedixit*

quum aurora [1] nocti terminum, et diei Dominico initium redderet, sepultusque in Horto Philippi [2], cujus supra memoravimus, ac diligentissime ejus cura reconditus, quo in loco christianae plebiculae ipse dum adviveret, polliandron fecerat. Mansit autem hic in episcopatu usque ad quintum Domitiani [3] Caesaris annum. Qui multa et erga multos per totam romani limitis oram crudelitate exercita, neronianae quodammodo theomachiae [4] impietatisque heres effectus est. Datis siquidem alter edictis quaquaversum orbe toto christianorum germen funditus evelli praecepit; alios videlicet procul in ultimis terrae finibus exilio detrudendos [5], alios vero atrocissimis et exquisitis pœnarum generibus puniendos, omnium autem bonorum ipsorum redditus fisci mulcta plectendos. Quae res maximum putabatur profectui ecclesiastico inferre discrimen, dum promulgata imperiali sanctione cunctarum poene ecclesiarum praesules, ac magistri omnes dispergerentur exiliati, atque passim trucidarentur inventi. Sed Domino longe melius diponente, qui loquitur : *Nisi granum frumenti*, in-

Fontem S. Eustorgii... Jacet in Ecclesia Philippea Naboris et Felicis, quae Sanctorum et modo appellatur Ecclesia beati Francisci. De Coemeterio Philippi et de caeteris antiquis urbis Coemeteriis consule Notas Fusiores N. 3.

1 *Quum aurora... diei Dominico.* Solliciti valde christifideles notabant mortis annum et diem et horam, eà speciatim mente, ut commemorationes et preces anniversarias rite facerent.

2 *Horto Philippi ... polliandron.* Philippus Ecclesiae donavit hortum valde latum, qui primitus christianis sepeliendis inservivit; dictusque est etiam *Coemeterium Caii* eô quod Caius illum hortum in coemeterium verterit, ibique ipse sepultus fuerit. Pollyandron quoque appellatus fuit graeca voce πολλῶν ἀνδρων *multorum hominum:* sive *coemeterium conune.* Hoc autem coemeterium complectebatur aream ubi Basilica Naboriana aedificata est tum eam circa regionem ubi Basilica Faustae sive S. Satyri et continens Basilica Ambrosiana, et fortasse ipsa etiam Basilica Portiana sive S. Victoris.

3 *Usque ad quintum Domitiani annum.* Annus Domitiani quintus incoepit idibus Septembris anni 85.; Gajus vero transiit die 31. Decembris ejusdem anni. Ex qua die, si regrederis per annos 22., recurrit annus Christi 64. incipiens, quo revera Gaius episcopus constitutus est.

4 *Neronianae theomachiae impietatisque haeres.* Haec omnia ex Eusebii Historia Eccles. L. 3. c. 17. sumpta sunt: της Νέρωνος θεοεχθρίας τε καὶ θεομαχίας διαδοχον έαυτον κατεστήσατο. Item reliqua de Domitiano.

5 *Exilio detrudendos.* Inter hos exules celeberrimus est s. Joannes Evangelista qui Romae ante Portam Latinam in dolio vel *concha* plena oleo ferventi immersus et nihil laesus in insulam Pathmon relegatus est. Ibi scripsit Librum Apocalypseos, qui saeculo IV. nondum ab omnibus Ecclesiis inter canonicos receptus erat. At vero Ecclesia Mediolanensis jam a tertio seculo et fortasse antea, illum jam receperat; ut constat ex pictura cujusdam sepulchri inter multa apud Ecclesiam S. Nazarii detecta anno 1845. in quo plura christiana symbola apparebant et praecipue istud:



Quod symbolum ex Apocalypsi sumptum est, ubi dicitur: *Ego* (Christus) *sum alpha et omega, principium et finis.* — *Qui tenet in dextera sua septem stellas.* De aetate illorum sepulchrorum vide Dissertat. in Ephemeride *Amico Cattolico*, vol. IX, pag. 325; de illo Stellarum symbolo vide Dissert., vol. X. pag. 201.

quiens, *moriatur cadens in terra, ipsum solum manet*, quo magis dividebantur per climata mundi, eô ampliora lucra Dominicis horreis accumulabant. Quin etiam vigore animi, et alacritate suae fidei, eos, qui infirmiores videbantur, non modice animabant.

Hac igitur causa persecutionis post obitum beatae memoriae Confessoris et Episcopi [1] Gaii, longa intercapeline temporis praefatae sedis Ecclesia benedictione sacerdotali viduata, et Pastoris proprii mansit cura destituta [2]. Namque christianae plebis aemuli nactâ suae invidiae congruentissimâ opportunitate, quantoscumque sub hac praeceptione adinvenire potuere, insolenti more super eos grassati, quosdam gladiis obtruncavere, quorumdam autem belluina rabie viva corpora aut feris aut ignibus absumsere. Sed omnium in fide non ficta usque ad necem perseverantium, Christus, qui causa fuit certaminis, evidenter existitit et bravii largitor aeterni.

Caput X.

Sub Nerva Imp. pax Ecclesiae: S. Castritianus episcopus eligitur.

Saeviente igitur, foris et intus, in abdito, atque in propatulo, diri turbinis immoderatâ proluvie, quae debacchatis Domitiani furiis magis ac magis excitata proruperat, nemo in tantâ credentium catervâ inveniri po-

1 *Beatae memoriae Confess. et Episc. Gaii.* Ex his verbis conjicitur Gaio praestitus jam tunc cultus sub titulo Confessoris Episcopi. Equidem in Litaniis Triduanis die primo, ut constat ex MSS. jam citato Bibl. Ambros. sec. XII, in Basilica Naboriana invocabatur S. Gaius; item in precibus Feriae III. ante Nativit. Domini ut constat ex cod. Beroldino Biblioth. Metropol. MSS. IV. Q. Cui codici adnexum est vetustiss. Mediolanense Kalendarium, et in eo sic legitur: *VI. Kal. Octobr. S. Justinae virg. Et Depositio sancti Gay Archiep. et Conf. ad S. Naborem.* Adde quod s. Carolus anno 1571. die 24. Sept. s. Gaii reliquias in Basilica Naboriana recognovit, et *caput* in theca reposuit *publice in solemniis* exponendum, ut testatur testis oculatus Franc. Castellus Canonicus Metropol. MSS. Bibl. Metrop. C. 4. 8. Hae Reliquiae in praesens conditae sunt in Basilica Ambrosiana in sacello s. Savinae cum caeteris Naborianae destructae Reliquiis.

2 *Hac causa persecutionis... mansit destituta.* Auctor constituere videtur initia persecutionis Domitiani in anno ejusdem quinto, dum plerique illam versus finem imperii ejus differunt. Prudentissima est Ruinartii sententia in Praef. ad *Acta Martyrr. Sincera* § III.: « verissime quidem persecutionem sub finem imperii Domitiani *maxime efferbuisse*, sed quae tamen multo antea excitata fuisse poterat. Et quidem longe antea Domitianus se *Deum ac Dominum* appellari voluerat. » Profecto Svetonius scribit: *pari arrogantia quum procuratorum suorum nomine dictaret epistolam sic coepit:* Dominus et Deus noster hoc fieri jubet. *Unde institutum posthac ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter.* Quam insolentiam Pagius ad annum 86. refert (vide Pagium ad ann. 86. in cunctis notis et ad 87. in nota 2.) in quo Domitianus *quintum imperii sui annum* agebat, et in quo *quinquennalia* praeter solitum festive celebrari voluit. Inde, ut sentit etiam Muratorius in Annal. Italiae, creditur ortum illius in christianos odium et persecutio; quod hominem, licet imperatorem, Deum appellare detrectarent. Adde *quinquennalia* festa ut et decennalia, et vicennalia multo superstitionis et idolorum cultu semper celebrata fuisse. Certum denique est ex actis sinceris S. Ignatii Martyris *procellas multarum sub Domitiano persecutionum sustinuisse.* Itaque defuncto Gaio, anno V. imperii Domitiani, et exortâ istius persecutione, Pastor Ecclesiae Mediolanensi donari non potuit usque ad pacificum Nervae imperium.

terat, qui in tam periculosa portus aequorei statione suae navis anchoram auderet deponere, et pastoralis curae oneri metuendo collum vellet sponte submittere. Sed ubi fama volitante, ipsius quoque finis et vitae et imperii ad aures pervenit multitudinis, confestim recreantur animi [1] longa moestitudine hebetati; praesertim quia, Nerva ei in imperium substituto, cuncta, quae ille perversis donarat titulis, quaeque inique abstulerat, quaeve lupi more male discerpserat, deteriusque profligaverat, ex senatus consulto, sed magis, ut opinor, superno judicio, detrahuntur, restituuntur, advocantur, atque ad proprias, qui exiliati fuerant, sedes revertuntur. Quo in tempore plures Mediolanensium incolarum qui delitescendo forte sub praeruptas montium cavernas, vel etiam relictâ patriâ pro amore nominis Domini Jesu exulando persecutorum manus evadere potuerunt, multo magis domo, parentibus, ac genitali solo quam christiani solius nominis praerogativa carere gestientes, agnitâ hujusce famae optatâ liberalitate, alacres ad sua repedarunt.

Inter quos vir quoque sanctissimus, et omni laude dignissimus Castritianus (qui solus tunc temporis de omni illa primitiarum benedictione, quam primis inibi Christianae Fidei cultoribus, uti de rore coeli, de pinguedine terrae Dominantis dextera ineffabili pietate attribuit), suorum simillimus propagatorum, omniumque virtutum exercitatissimus, non sine divino reservabatur praejudicio. Cum aliquibus ex clero et populo reversus est a vicinis latibulis; quibus aliquandiu sese cum reliquis occulere tutius ratus ad maximum fidelium Christi tutamen, furentis declinavit rabiem tyranni. Denique praefatum virum dignae memoriae sanctus Gaius, ad cujus curam ordo pendebat [2] Ecclesiae dum magister adviveret, bonae satis indolis, atque inter caeteros, qui piis in prin-

[1] *Recreantur animi.* Occiso Domitiano *Senatus adeo laetatus est,* inquit Svetonius, *ut mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret: clipeosque et imagines eius coram detrahi, et ibidem solo affligi juberet: novissime, eradendos ubique titulos abolendamque omnem memoriam daecerneret.* Lactantius autem *De morte Persecutt.* c. 3. *Rescissis igitur actis tyranni, non tantum in pristinum statum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit.* Demum Eusebius Hist. Eccl. L. 3. C. 20. cuique exuli reditum in patriam concessum et bona restituta narrat. Addit vero Dio apud Xiphilinum, *Nervam edicto insuper vetuisse ne cui liceret aut impietatis aut judaicae* (christianae) *sectae quemquam dehinc insimulare.*

[2] *Ad cujus curam ordo pendebat Ecclesiae dum magister... Hic ordo Ecclesiae* intelligi debet pro *clericis ordinatis,* qui sub Gaio tamquam educatore et duce degebant. Quod quidem officium in Ecclesia mediolanensi clarius enituit seculo IV, ut Paulinus S. Ambrosii diaconus testatur de se ipso: *honorabili viro Casto diacono sub cujus cura degebam;* et ut constat ex Epistola LXX. S. Ambrosii ad Horontianum: *Tu autem, fili, qui a primo flore pueritiae es haeres Ecclesiae quae te suscepit et tenet, perseverato in proposito, memor gratiae Dei et muneris quod per impositionem suscepisti manuum mearum.* Itaque Ecclesia Mediolanensis clericorum ordinem et educationem etiam primis saeculis praesefert.

cipio monitis assensum dederant, juvenem sagacis animi intendens, doctrinaeque sanae per omnia docilem, clericorum coetui vigilanter ascivit. Dein theosebiae in brevi studiis apprime imbutus, licet neophytus, Leviticis mancipatus officiis; ubi in omni morum honestate, ac inconvulsae fidei probitate praeclarus, gradatimque ad culmen probati pertingens discipuli, sacerdotali non post multum stola indui, et sacrosanctae benedictionis eulogio [1] promeruit cumulari.

Hunc ergo velut diversorum expertum certaminum, et optimum christiani praelii ducem, uno pariter consensu universus clerus, et omnis christicolarum populus sibi Praesulem, utpote dignissimum, in commune petebat. Ille, ut erat vir mitissimus, et ad cuncta patientissimus, causas econtra indignitatis, atque inscitiae obices opponere, et se non bonorum pastorum meritis, sed mercenariorum [2] potius censendum numero proclamare. E diverso autem Deo devota plebs fidelium doctrinâ illum, vitâque praecipuâ splendidum, castis moribus sobrium, apostolicis quoque radiis nitidum, ac beatis meritis clamitabat fore ditissimum. *Nec ideo*, ajebat, *mercenariorum es catalogo supputandus, quod ad tempus, utpote dirissimum* [3], *nobis magis quam tibi consulendo, tuam deturpasse videris in belli prociuctu militiam. Quin potius quia pastoris jam jamque curâ permotus, destitutas oves tuo gremio confovens, sanctitatis hortatu assiduo summâque cautelâ praemonitas Pastori pastorum conservasse probaris: ob hoc non solum episcopatu dignissimus, sed coelestis praemii ades possessor amplissimus. Nunc ergo, Pater mi, quid profuit gregem hunc rabidis luporum incursibus aggregasse dispersum? vel ab ipsis, quod est amplius, famelicis leonum molaribus* [4] *erutum curavisse, lacerum refovisse, pusillanimem tot*

[1] *Eulogio.* Eulogium graece idem est ac latine *benedictio:* verumtamen vox *eulogion*, vel *eulogia* erat λιτουργικότερα. *Theosebia* est *in Deum pietas.* Nota hîc formulas et ritus conferendi ordinem Presbyteratus. Nil aliud Auctor innuit nisi formulam orationis sive *benedictionem* (quae fiebat et adhuc fit cum impositione manuum), et *Stolae* traditionem: quam stolam presbyteri antiquitus totâ vitâ et ubicumque ferebant; id quod in praesens Papae solius est. Auctor, ut videtur, proprii temporis scilicet saeculi VI. usus applicat factis saeculi primi, quo presbyteros stola usos fuisse non facile demonstrabitur. Nam neque ipso saeculo quarto de stola hac sacerdotali erat sermo: Concilium enim Carthagin. IV. habitum anno 398. recensens Ordinationum ritus, ita de Ordinatione Presbyteri loquitur: *presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri qui praesentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant.* At vero cur auctor non innuit caeteros ritus, velut unctionem manuum, traditionem calicis, planetae, missalis etc.? Quia isti ritus post saeculum octavum vel nonum in usum venerunt. Quae quidem tangere juvit ut semper melius Auctoris antiquitas pateat.

[2] *Mercenariorum numero.* Alluditur ad illud Evangelii Joannis: *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Mercenarius autem fugit quia mercenarius est.*

[3] *Tempus dirissimum*, illud scilicet persecutionis Domitiani, quo Castricianus fugerat.

[4] *Leonum molaribus:* scilicet *dentibus.* Joel. c. 1. 6. *dentes ejus ut dentes leonis, et molares ejus ut catuli leonis.* Paulus II. ad Timoth. 4.: *liberatus sum de ore leonis*, nempe Neronis.

tantisque diebus pastu congruo recreavisse? si reducto ad caulas postquam serena tempora redierunt, etiam novus annus jamque novis candescit gramen in arvis [1], *tuorum deneges pascua monitorum? et cui nunc usque, Pater, familias provocatus periculo velut pervigil affuisti opilio* [2], *quadam excusationis inhumanitate circumdatus, incipias esse crudelior? Anne de alienis mendicare nos praecipis ovilibus, quum tantus adsit pastor prae manibus? Noli, petimus, noli tantâ nos inopiâ priscorum degeneres reddere patrum. Suscipe magis, quod obsecramus, ne ultra* [3] *te habentes praesulem ut cupimus, inter affines turmas pastoris absentiam defleamus.* Talibus adversum memoratum virum querimoniis cunctorum ora quotidie personabant. Et ille, quia erat piissimus, lacrymis suffusus oculos vultumque pectusque rorabat, se solum indignum indoctumque protestans, et alia nonnulla objiciens, quae humili magis animo quam pertinaci afferebat. At vero solito tristiores monitis dulcibus relevare non desinens, mulcebat animos sua pietate gementes. Sicque duobus mensibus, ex quo reversus est, mansit, pastoralis cathedrae semet indignum fore dejudicans.

Non tulit hanc moram Christo sedule obsequens turba fidelium; sed omnium invitus amore volens nolensque capitur, trahitur, et Deo volente Ecclesiae Praesul efficitur [4]. In quo qualem se quantumque tulerit, non est nostrae exilitatis exprimere. Atqui pauca ponere libuit, praelibando potius quam totius materiei textum inserendo; multo melius ratus vel aliquid quam nihil eloqui: in altero namque voluntas prompta, in altero aperta et pertinax inobedientia. Hominum siquidem est natura hujuscemodi, ut non tam gratificentur super his quae tribueris, quam doleant super his quae negaveris.

Obsequar igitur tuis, Pater almifice, jussis, et navis hujus, adhuc flante Sancto, ut supplex imploro, Spiritu, vela suspendam [5], si forte agat ad desiderata litora portus tuis impulsam precibus. In quibus ut saepius illum versiculum repetas, obnixe de-

[1] *Candescit gramen.* Multa huc illuc ex poetarum penu Auctor deprompsit juxta saeculi VI. morem et gustum. Ita mox illa phrasis: *lacrymis suffusus oculos vultumque pectusque rorabat*, ex Lucretio et ex Ovidio sumpta est.

[2] *Opilio:* quasi *ovilio* id est pastor ovium. Virgilius Ecloga X. *Venit et opilio, tardi venere bubulci.*

[3] *Ne ultra te habentes:* scilicet ne amplius te habentes. Ita Livius, *non posse ultra sustinere.*

[4] *Praesul efficitur.* Castricianus cathedram mediolanensem ascendit initio anni 97. Coss. Nerva Augusto III. et Virginio Rufo III. Nam, Gaio pridie Kalend. Januar., anno V. Domitiani, anno 85. aere vulgaris defuncto, Sedes Mediolanensis per undecim annos *Pastoris proprii curâ remansit destituta donec Nerva in imperium substitutus est*; quod evenit die 18. Sept. anni 96. Adde aliquod temporis spatium quo nuntius de Nervae assumptione et de pace Ecclesiae redditâ Mediolanum perveniret; adde duos menses quibus Castricianus reluctans gradum episcopalem detrectabat; jam habebis initium anni 97.

[5] *Vela suspendam*, id est vela expandam, navigationem suscepturus vel melius continuaturus.

posco: *Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum, et fluent aromata* [1] nostrorum Patronorum [2]. Quin et ego fubinferam interpellans cum Propheta, et dicens: *A quatuor ventis* [3] *veni Spiritus, et insuffla super* vacillantis proram naviculae. Porro fastidioso lectori (ut quod prius dicere debui praepostero ordine ponam), sive cuipiam animo perduelli nostra lecturo, illud ultra supraque denuntio quatenus in his, quae relegit, si forte minus credulus existit, perquirat aliorum tam romanorum, quam grajorum chronicarum commenta [4], et si consonant praesentia, non sugillet. Me autem fateor non plenam historiae texere, vel texuisse materiem; sed quasi in specula positum, nosse cupientibus rei antiquae indicia protulisse. Quae ut promere saltem dimidiatis verbis valeam, non jam meo erit labori, sed tuo, Praesul optime, juvamini, et Christo proprie imputandum clementissimo largitori.

Caput XI.

Prima Ecclesia Mediolani aedificatur et dedicatur, nempe Basilica Philippi.

Castricianus [5] igitur castris fidei, ut peritissimus propugnator insertus, christiani proelii adversarios mirabiliter expugnando devicit, et mirabilius devictos Christi jugo subegit. Namque ubi ad sacrum, superno judicio et totius Ecclesiae assensu, culmen quadam laudabili fidelium pertractus est violentiâ, ipso patientissime repugnante, et Agni veri exemplar actu moribusque mitissimis prosequente: tum demum quis esset innotuit; quia lucerna super candelabrum sita latere ultra non potuit.

Mox denique coetu christiani po-

1 *Surge Aquilo — aromata.* Ex Cantico Canticor. c. IV. v. 16.

2 *Nostrorum Patronorum.* Scilicet Episcoporum Mediolani, quorum vitam et historiam narrare pergit: quos cum sanctos fuisse, et jam caelesti praemio potitos credat, idcirco Patronos appellat. Nota illud NOSTRORVM: ex quo evidenter patet Auctorem ad mediolanensem Ecclesiam pertinuisse.

3 *A quatuor ventis* etc. Ezechiel. c. 37. 9.

4 *Perquirat romanor. grajor. Chronicar. Commenta.* Haec Auctoris secura protestatio duo demonstrat: extitisse revera commentarios et historias veteres tam latino quam graeco sermone scriptas de rebus ecclesiasticis mediolanensibus: cum illis consonare et verissima esse quae Auctor in hunc librum congessit.

5 *Castricianus* mediolanensis fuit: nam capite superiori dictus est fuisse ex *primitiis benedictionis quam primis inibi* (Mediolani) *christianae fidei cultoribus Dominantis dextera ineffabili pietate attribuit.* Nomen a *Castricio* derivatum: ut videre est apud Ciceronem qui in Orat. pro Flacco, c. 23. inde deducit *Castricianum vulnus, Castricianum nomen.* Gens autem Castricia in Liguria et Mediolani frequens erat. Apud Muratorium Thesaur. Inscript. 151. 6. est P. CASTRICIVS SECVNDVS PONTIFEX D. AVGVSTI. VIR POLENT., nempe Polentiae, urbis olim ad Tanarum in Pedemonte sitae. Mediolani autem ad s. Bartholomaei, in marmore Medusae caput cum delphinis praeferente, *Grut.* 384. 7.

V. F.
Q. CAMPILIVS · Q. F.
VIRILIO
VI VIR · IVN · SIBI ET
CASTRICIAE CONEXVAE MATRI
. . . . . .

puli adunato paterna voce commonens infit: *Propugnatoris, ac Redemptoris nostri Jesu Christi gratiâ ecce, ut aspicitis, fratres, temporum serenitas suis videlicet clientibus est restituta. Nempe quos paulo ante furens procella lugubriter concusserat, sparserat, ac poene diruerat, gratulanter nunc consolidatos, coadunatos, ac meliori, pro parte, statui restitutos Christi per mundum cultores videmus. Quorsum ista? Quia ut nostrae parvitati elucet, non sine ingenti suae pietatis cumulo istam clementer de coelo pluit in praesentiarum, temperiem* [1]. *Scilicet ut lucrandis populis, quos vanus error invasit, solicite invigilemus, cuncti instantissime insudantes, si quos forte huic numero adjungere possimus. Exerceamus ergo de diabolicis lucris clandestinas rapinas, et quasi latrocinantes versâ vice in idolorum domesticis talionem* [2] *redhibeamus; ita ut quoscumque ex caris et consanguineis illis immistos habuerimus, abstrahere virtute, qua possumus, ac toto conamine satagamus. Veremini siquidem, o cives, nimium, et pudoratae mulieris instar, mutuos aspectus avertitis si aliquos vestrorum commilitonum duro barbaricae dominationis jugo videritis addictos; malentes bellonae casu, atque hostilibus telis ob suae libertatis amorem, et genialis patriae defensionem jugulatos, quam miserae servituti aspicere deditos. Cur non ergo revereamini vestros ditioni daemoniacae miserabiliter mancipatos, quum vos Dei miseratione ad multo meliorem revocati sitis libertatem? Quamobrem properate quantocius, et quos prius carneo affectu dilexistis sub una redacti captivitate, nunc attentius suadete, ut perpetuâ cum ipsis perfrui valeatis ingenuitate* [3].

Quin potius, ut eos plenius atque instantius attrahere ad Christi possimus libertatem, cuncti pariter, quos una fidei ac morum catena ligat, in Dominantis nomine aedificemus sanctuaria, dedicemus altaria, et Christo opitulante sacrati templi [4] *culmina erigamus; ut fidelis populi conventus non*

[1] *Pluit de coelo temperiem.* Ovidius: *coelilique juvatur temperie corpus.*

[2] *Talionem redhibeamus.* Talio erat lex poenalis qua homini tale fiebat quale ille alteri fecerat mali. Hinc illud Exodi capite 21.: *reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente.* Haec poena etiam a XII. Tabulis Romanorum sancita erat: *si membrum rapserit* (ruperit), *ni cum eo pacit, talio esto.* Hic tamen *talio* sensu adhibetur metaphorico eoque bono.

[3] *Ingenuitate.* Ingenuus apud Romanos ille appellabatur qui liber natus libertatem suam adhuc conservabat. Inde *ingenui filii*, id est liberi, *ingenuae artes* scilicet quae ab hominibus liberis plerumque colebantur. Alludere videtur Auctor ad illud Pauli ad Galatas c. 4. 21. *Non sumus ancillae filii sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit. State et nolite iterum jugo servitutis contineri.*

[4] *Templi.* Vox *templum* non nisi quarto saeculo pro ecclesiis christianis usurpari coepta est: et fortasse noster s. Ambrosius primus illam in hoc sensu adhibuit. Exempli gr. *De Abraham*, Lib. 1. c. 9. *Dei templa in quibus Fidelium Domino reliquiae conduntur.* Christianorum enim ecclesiae primis saeculis erant caenacula, aulae, cubicula in domo alicujus privati, cryptae, porticus, coemeteria, quae templi speciem nullam praeferebant. Itaque et ipsi christiani coram

jam sub dio, ut hactenus, sed in Ecclesiae septis [1] *perceptae fidei sacramenta conficiat. Et qui nunc usque in idolorum delubris delphicas naenias furibundi amentesque soliti fuerant ridicule degarrire* [2], *in sese conversi, nec ut prius ebriâ, sed jejunâ, ut dici assolet, mente sobrii redditi, assiduas in Dei vivi atriis gratiarum intonent actiones.* Finitis deinceps monitis, plebs credula in sui cordis arcanis quae auditu perceperat diligenter reposuit, et maximo ardoris succensa incremento, passim quibuscumque poterat vias vitae sequi persuadebat; impletâ Prophetae commonitione, qua dicitur: *Qui audit, dicat: veni* [3].

Domum interea Philippi, (cujus supra fecimus mentionem, viri et prius apud mundanam celsitudinem, et postmodum in divinis cultibus strenuissimi), extra muros saepe dictae urbis, haud procul a silice viae Vercellas versus, sitam [4], quam ipse olim, dum felici exitu transiret e mundo, beatae memoriae Gaius Antistes suo decessori possidendam reliquerat, venerandus vir Dei Castricianus in domum sacra-

ethnicis fatebantur se nullum habere templum manu hominum factum; at templum esse cor fidelium, templum omnem locum ubi levantes manus puras Deum colere possent. Verumtamen simul atque fidelium coetus augeri coepit et inter persecutiones aliqua ipsis tranquillitas affuit, aedificatae sunt Ecclesiae eaeque satis augustae et spatiosae. *Quae tamen antiqua aedificia*, inquit Euseb. Hist. Eccl. L. 8. *cum adhuc non satis ampla essent, ampliores ecclesias in universis urbibus, fundamentis earum ad majorem laxitatem dilatatis, erexerunt: quas demum Diocletianus Imperator demoliendas edicto jussit.* Patet igitur etiam secundo et tertio saeculo templa vel ecclesias christianos condidisse.

1 *In Ecclesiae septis.* Vox *Ecclesia* pro templis sive locis ubi christiani ad sacra facienda congregarentur, primitus ab Apostolo Paulo adhibita est, I. ad Corinth. XI. *Convenientibus vobis in ecclesiam.* Hoc sensu illâ usus est Tertullianus De Idolatria c. 7. et alibi. Vide notam 29. Pamelii ad hunc Tertulliani locum. Hac voce christiani melius utebantur quam *templi*, eô quod non essent ad instar fanorum Gentilium, sed potius ad instar domus, vel scholae, vel regiae basilicae populi concionibus habendis, vel accademiae aut congregationis amicorum.

2 *In idolorum delubris—degarrire.* Duo potissima paganis orantibus superstitionum genera erant: multiloquis precibus uti, *putantes quod in multiloquio suo exaudirentur* ut inquit Dominus Jesus; tum vero furere, et clamitare quasi ἐνεργουμενοι.

3 *Qui audit.* Apocalypsis cap. ultimo.

4 *Viae Vercellas versus sitam.* MSS. Ambr. *Viae Ticinensis versus sitam.* Muratorius lacunam supposuit: *Viae Ticinensis versus ... sitam.* At neque in MSS. Ambr. neque in MSS. Pizzolpassi quidquam desideratur. Quid ergo? Error amanuensis fuit, qui *Viae Ticinensis versus* scripsit, pro *Viae Vercellas versus.* Hac correctione gramaticae legibus satis me fecisse arbitror et veritati topographicae. Nam ab illa Basilica Philippi, seu Naboriana aut s. Francisci Via Vercellensis *non procul* erat imo proxima valde, utpote quae incipiebat ab urbis Porta cui proxima aedificata est s. Maria *ad portam.* Porro Acta s. Victoris Hortum Philippi et Viam Vercellensem conjungunt: referunt enim, *Maximianum Imp. jussisse ut Victor duceretur ad Portam Vercellinam; tum foris civitatem ad Hortum qui vocatur Philippi.* Ex lapide vero *Metilii Messoris* qui est in aedibus Castillionaeis apud s. Ambrosium constat, jam antiquitus celebrem fuisse VIAM VERCELLENSEM. — *A scilice:* Romani vias praecipuas glareâ vel silice opere magnifico sternebant; quam laudem Messalae Tibullus celebrat Carm. *Hunc cecinere.*

Te canit agricola e magna cum venerit urbe
Serus, inoffensum rettuleritque pedem.
Namque opibus congesta tuis hìc glarea dura
Sternitur, hìc aptà jungitur arte silex.

Quoad situm Basilicae Philippi et caeterarum, vide Chartam topographicam in fine.

tam convertit orationis, ut ibi quotidianas precum victimas, jugesque Christi sacramentorum, fidelibus coram, hostias immolaret: triplicem, ut puto, loci ipsius intuens convenientiam. Primo quia foris civitatem positus, solitariaeque magis conversationi aptus, furentium semper paganorum tumultibus sanctum virum reddebat expertem. Secundo ne celebrantibus ibidem sua solemnia christianis, aliquod ferret impedimentum inconsulta protervitas. Tertio ut se, sui magistri frequentatis crebro excubiis (cujus reverenter manu quondam propria sacratum funus juxta, ut praefatus sum [1], tumularat), et meritis parem redderet, et magnificis intervenientibus supplicationibus animaret.

Consummatis igitur his quae templi suprataxati utilitas deposcebat, tum omnium fidelium voto ac viribus, ut perficeretur ac tutum esset, insudatum, deridentibus atque insultantibus jugiter infidelibus, praesertim profanorum templorum aedituis a longe inclamantibus, ac dicentibus: *Euge, euge, quid isti profani, ac deorum rebelles impune adoriuntur? Quibus cum sufficere debuerit, quod ad tempus respirare concessum est, auxerunt etiam dementissimae praesumptionis pertinacem audaciam concremandi* [2] *in eo, quod statuere nituntur, suae perfidiae domicilio? Proh nefas! periit haec civitas, abolita sunt moenia, quia tam ineluctabiliter conservatorum deorum cultura contemnitur. Quis hoc ferat odii tremendi, et coelo terraeque verendi?*

Et haec multaque alia grundientibus, et faces injcere minitantibus, convocat universos, et voce clara Praesul eximius ait; *Eja,* inquiens, *fratres, completa Dominici corporis fabrica* [3]. *Deum supplicibus adeamus obtutibus, orantes unaniniter, ac magnis precibus implorantes, ut qui solitum praestitit adminiculum in perficiendo, sui quoque Spiritus praesentiam largiatur in benedicendo; quatenus hoc templum, suis cultibus dicatum, suis faciat largissimis muneribus generosum, coelestibusque praesidiis, ac praeconiis gloriosum. Agamus ergo solenne primo jejunium, sanctamque deinum submissi Trinitatem invocantes, templum hoc ejus Magno Nomini dedicemus* [4].

Factum est ut jusserat Antistes: et intentis omnibus cum summa devotio-

[1] *Juxta—tumularat.* Juxta domum Philippi in Horto ejusdem Philippi s. Gaius sepultus fuit: unde loco nomen *Coemeterium Gaii.*

[2] *Concremandi in eo—domicilio.* Frequenter legitur in Actis Martyrum, christianos igni traditos fuisse, vel una cum ecclesiis aut domibus cencrematos. Ratio autem hujus supplicii ea esse videtur quod christiani a paganis velut magiae addicti putabantur; in magos autem ignis poena legibus romanis statuta erat.

[3] *Dominici corporis fabrica.* Dominicum latine, Κυρίακον graece appellari solebat ecclesia, utpote domus Domini. S. Cyprianus *De Oper. et Eleem: In Dominicum sine sacrificio venis?* Rufinus hist. eccl. Lib. I. c. 2. » *Si haec ita esse credis, surge et sequere me ad Dominicum.* Concil. Laodicenum can. 28. ὂύ δεῖ τάς ἀγάπας ἐν τοῖς Κυριαχοῖς ποιεῖν: *non oportet agapas in ecclesiis facere.* — Animadverte plures passim antiquas Patrum phrases.

[4] *Templum hoc ejus Magno Nomini dedicemus.* Deo soli basilicae, ecclesiae, altaria dedicari

ne, et magnâ instantiâ precum, Christi sacravit sacrarium. Cui tanta fuit consecrationis amplitudo [1], ut non modo credentibus, sed et gentilibus satis superque patesceret, ab eo die salutem illi coelitus superfusam civitati. Advecti namque ibidem non tantum ex urbis moenibus, verum etiam ex suburbanis, atque ex suburbiensibus [2] viculis infirmi quique, recuperatae sospitatis dona protinus se percepisse gavisi sunt.

Caput XII.

Idolatria destruitur: aliae duae Ecclesiae Mediolani aedificantur, Basilica Portii, Basilica Faustae.

Nec minus et ipse beatissimus Sacerdos mirificis coruscabat virtutibus, eatenus ut Christi vexillum suis imprimens manibus [3] coeci lumen, surdi aurium officina, muti os fieret per medelam. Spiritus immundos tam de obsessis corporibus propulsos abigebat quam ab ipsis fanorum aedibus, in quibus eos insensata gentilitas venerabatur, longe positus expellebat, atque atrocissime cruciabat. Non jam pendula Apollinis responsa, non Jovis oracula ficta, non simulacrorum consulta, daemonum ministris sciscitantibus, resultabant. Multi quoque, quos male incantata [4] Juno seu Venus [5] nefariae meretrices, et, quod est verius, occultati sub harum imaginum nebulâ daemones infandi variis persaepe calamitatibus oppressos illuserant; dum se ab ipsis curari

possunt: est enim res inter praecipuas latriae. Possunt tamen Deo dicari in memoriam et honorem alicujus Martyris vel Sancti. Itaque nonnulli putaverunt hanc Basilicam dedicatam fuisse in honorem *omnium Sanctorum*, eo nempe decepti quod iste locus appellaretur *Concilia Sanctorum*. At quis ita antiquitatum ecclesiasticarum rudis est ut nesciat *Concilia Sanctorum* idem fuisse ac dicere *coemeterium Fidelium, communis sepultura martyrum, congregatio christianorum?*

1 *Tanta fuit Consecr. amplitudo.* Ecclesias etiam primis saeculis sacro aliquo ritu Deo dicatas fuisse non est dubitandum: nam et praecesserat exemplum dedicationis templi Salomonici et aliarum dedicationum sub Esdra et sub Juda Machabeo: tum vero ipsis paganis solemne erat templorum et idolorum dedicationes peragere, ejusque annum et diem ad perpetuam memoriam signare. Ex. gr. apud Gruterum 309. 8., legitur: DEDICATA · KAL · MARTII · M · IVNIO · MAXIMO II. ET VETTIO AQVILINO COSS. id est die prima Martii anni 286. Vide apud Surium in Actis s. Caeciliae V. et M. istius domum in Ecclesiam versam et consecratam.

2 *Suburbiensibus.* MSS. Ambros. *Sobriensibus:* Murator. *Subriensibus.* At vero MSS. Galvanei Flammae *Suburbiensibus:* quae quidem lectio praeferenda; nam sensus hic est, convenisse ad dedicationem basilicae non solum cives intramuranos et suburbanos, sed etiam ex pagis et viculis prope urbem positis. Moneo tamen *Sobrium*, vel *Subrium*, vel *Seprium* fuisse castrum et comitatum amplissimum in regione hac Insubricà versus Lacum Verbanum.

3 *Christi vexillum suis imprimens manibus:* id est crucis triumphalis signum manibus extensis faciens. Hoc modo s. Ambrosius L. 1. *de Virginibus* loquens de s. Agnete inquit: *in ipsis sacrilegis focis trophaeum Domini victoris signabat:* item apud Ruinartum s. Fructuosus *in signo trophaei Domini constitutus precabatur.* Nempe ut apud eundem in MM. sub Diocletiano: *Manibus in crucis formam expansis supplicabat.*

4 *Male incantata Iuno seu Venus.* Idolorum sacerdotes carmina cantando extorquere credebantur ab idolis, vel a stellis vel a diis quibuscumque favores, beneficia, morborum sanationes, prophetias, miracula omnia; qua de re plena sunt veterum poetarum figmenta.

5 *Apoll... Jov... Iuno, Venus.* De diis eorumque cultu apud majores nostros misere paganos

nullo modo posse viderent, ad Christi famulum perducti integerrimam recepere salutem. Quo circa non parva videntibus aemulatio excitata est, complurimis ad fidem per id tempus ex gentili errore commutatis, etiam ex iis, qui idolatricis excubiis diuturno tempore praefuerant [1]. Longum satis esset, si viri hujus almifici universa quae feruntur velim gesta revolvere; sed sufficiant lectori pauca de pluribus: quibus contentus inertem excitet animum ad profectum.


Nunc ad ejus exitum stilus accurrat. Pendente adhuc temporum serenitate, quae per Nervam [2] piissimum principem, velut flante Austro, compressis nubilis elucubrata, vel magis superna fuerat dispensatione largita, Christi fidelium institutio, ecclesiarumque profectus crescebat in dies. Simulacrorum porro excubitores suae invidiae toedis consumi, et in nihilum redigi, cum his, quorum erant fautores templis, prudenter perpendentibus videbantur.

Exoratus namque vir sanctissimus a christiana plebe, duas iterum haud longe a praefata ecclesia, quam ipse olim sacraverat, orationis aedes benedixit, ac salutari nomine confirmavit: quarum impensas duo clarissimi apud Caesarem, et apud Christum Philippi filii, nec moribus patris, nec opibus, nec vitâ honestâ degeneres, sumptibus utrimque propriis abundantissime suffecerunt, alteram Portianam [3], alte-

vide Notas fusiores in fine operis. In antecessum tamen moneo, nostrates inter deos romanis graecisque comunes, adorasse quasdam divinitates sub quarum symbolo et ratione ad veram divinitatem valde proximabant. Ex. gr. IOVI ADONEICO habet ara in aedibus Ghirlandianis; quo epitheto fortasse unici exempli ego intellectum puto verum Deum *Adonai* Hebraeorum: DEO PANTHEO prostant epigraphae in vico Sexto Calendarum, tum in Castro Leonis, tum Mediolani in aedibus s. Simpliciani, et alibi; quo vocabulo intelligebatur Deus caeterorum omnium attributa complexus, scilicet Deus unus perfectissimus: VIRIBVS erecta ara in aedibus s. Simpliciani ostenditur, sub quarum symbolo patet cultum fuisse Deum occultâ vi omnibus rebus providentem: etc.

1 *Idolatricis excubiis—praefuerant;* id est sacerdotes et ministri idolorum.

2 *Pendente—serenitate.* Lactantius De Morte Persecutor. c. 3. *Rescissis actis tyranni, non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit... manus suas in orientem, occidentemque porrexit; ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus quo non religio Dei penetrasset; nulla denique natio tam feris moribus vivens ut non suscepto Dei cultu ad justitiae opera mitesceret.* Hoc tempore sub Nerva, vel sub initium imperii Trajani Joannes a Pathmo in Asia reversus scripsit Evangelium suum. Illud usque a primis saeculis in Ecclesia Mediolanensi receptum fuisse testimonio est pictura sepulchri prope s. Nazarium in hac urbe detecti anno 1845. ad tempus martyrum pertinentis. In eo enim inter multa christiana symbola pictum erat factum Christi Lazarum revocantis ad vitam eô modo quo in illo Evangelio narratur.

3 *Alteram Portianam:* sic dictam a Portio Philippi filio. Ea postea etiam nomen s. Victoris Martyris Mediolanensis accepit, dictaque est *s. Victoris ad Corpus.* Celebritatem ista basilica adepta est a constantiâ s. Ambrosii qui il-

ramque Faustam[1] suorum cognomento nominum appellantes. Unde non modice et christiani tripudiati, et pagani moestificati sunt, videntes se et gradu, et numero paene coaequatos illis, quos paulo ante ut profanos et profugos, irrisu atque improperio dignos censuerant.

Quamvis enim, Trajanum per idem tempus sene Nerva in filium atque imperium adoptante, primo impetu, persequutionis[2] concitatum adversus illos videretur incendium; attamen suggestu commonitus Plinii Secundi (cui cura provinciae romanae[3] delegata fuerat), causâ necis multorum

lam anno 386. adversus Arianos, Justinam Augustam et Valentinianum Augustum firmiter defendit, et catholicis servavit. In Sermone enim *De Tradendis Basilicis* inter caetera dixit: *Lectum est hodie, Nabutum sanctum virum possessorem vineae suae, interpellatum petitione regiâ ut vineam suam daret, respondisse:* absit ut ego tradam patrum meorum haereditatem ... *Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi? Absit ut tradam haereditatem patrum, hoc est haereditatem Dionysii, qui in exilio in causa fidei defunctus est, haereditatem Eustorgii confessoris, haereditatem Myroclis atque omnium retro fidelium episcoporum.* At vero de qua Basilica erat res, manifeste dicit in Epist. XX. ad Soror. Marcellinam eodem anno 386. scripta: *Portiana, hoc est extramurana basilica petebatur... Ego in basilica vetere totum exegi diem. Veterem* vocat istam et *extramuranam:* novam vero et *intramuranam* appellat basilicam cathedralem ibi conditam ubi nunc *il Duomo.* Haec Portiana Basilica occupabat locum qui nunc est ante ecclesiam s. Victoris, et versa erat ad orientem: anno 1575. a Patribus Olivetanis destructa est et nova excitata ampla sane et elegans: *sed quae* tamen inquit Carolus Bescapè in Historia Mediolanensi, *antiquae illius desiderium mihi quidem omnino non excutiat.* Quid enim compensare poterit musiva illa, et picturas, et epigraphas et ipsam structurae formam, quae christianorum veterum ingenium et mores et historias, et sanctitatem referebant?

1 *Faustam.* A Fausta Portii sorore, Philippi filia. *Fausta* inquam, non *Fausto,* ut quidam malunt: nam ipsemet s. Ambrosius in Ep. XXII. ad Soror. Marcellinam anni 386. ait: *Transtulimus vespere jam incumbente* (corpora ss. Gervasii et Protasii) *ad basilicam Faustae: ibi vigiliae tota nocte.* Haec autem situ erat proxima basilicae Ambrosianae, imo ipsi conjuncta; et adhuc superest ejus presbyterium, quod vocatur sacellum s. Victoris *in coelo aureo* vel *s. Satyri;* in quo sacello adhuc enitent in fornice quidem musiva aurea rapraesentantia martyrem s. Victorem, ad latera autem musiva e lapillis referentia imagines s. Materni cum s. Nabore et s. Felice, tum s. Ambrosii cum s. Gervasio et Protasio: opus perfectissimum seculi quinti, cujus typum dabo ubi de persecutione Diocletiani sermo erit. In hoc autem aureo musivo, in manibus s. Victoris sunt duo vexilla ad instar crucis, in quorum transverso sunt verba, VICTOR P*auso* ANTE GRA*dus* I*stius* AE*dis* FAVST*ae* IN P*ace.* Nomen, situm, et formam hujus Basilicae discimus etiam ex musivo seculi IX. in abside Basilicae Ambrosianae post altare majus; in quo musivo apparet ipsa Ambrosiana Basilica cum adnexâ Basilicâ Faustae inscriptâ ECCLA FAVSTÆ.

2 *Persecutionis.* Orosius L. VII. c. 12. *Traianus reipublicae gubernacula, Nerva tradente, suscepit ac per annos decem et novem tenuit. In persequendis christianis errore deceptus, tertius a Nerone, quum passim repertos cogi ad sacrificandum idolis ac detrectantes interfici praecepisset; plurimique interficerentur, Plinii Secundi relatu admonitus, rescriptis illico lenioribus temperavit edictum.* Plinii Epistola ad Trajanum et Trajani responsum dabitur in fine Operis.

3 *Cui cura provinciae romanae:* scilicet *unius* ex provinciis romanis: nempe provinciae Ponti in Asia Minore, uti constat etiam ex mediolanensi epigraphe Basilicae Ambrosianae, apud *Grut.* pag. 1028. 5.

C. · PLINIVS · C. · F. · C. · N.
CAECILIVS · SECVNDVS
COS. · AVGVR. · LEG. · PROPRAET
PROVINC. · PONTI · CONSVLARI · PO
TESTATE · IN · EAM · PROVINCIAM · AB
IMP. · CAESARE · NERVA · TRAIANO
AVG. · GERMANICO · MISSVS ....

Hic est ille Plinius junior Novocomo ortus, qui

millium christianorum permoti, edicti promulgata sanctione, christianos ultra nequaquam prosequi jussit, immunes dumtaxat scelerum, et romanis obsequiis communiter insistentes. Verum his, qui nequitiam cupiunt solitam exercere, quando erit occasio laedendi tam velociter exempta? Nam et tunc plerumque gentilium manus adversum credentes diabolo incitante instigabatur. Interdum etiam consules iniqui vel praesides [1] adinventis occasionibus damnabant innoxios, quos invidiae sola causa faciebat obnoxios.

His, licet ille totius boni aemulus suae malignitatis artibus conaretur aliquos a luce ad suas tenebras revocare, munda tamen et immaculata usque tunc mansit Ecclesia [2], in tantum ut suavis odor cunctorum aromatum praecellens fragrantiam, ex ejus effusus manibus ab oriente occidentem usque pertingeret; quo attractus [3] quispiam legibus continuo patriis et superstitionibus abdicatis, Christi Jesu nomine semet insigniri gauderet. Percepto autem, quicumque ille esset, Christi signaculo, cunctis se protinus mundanis negotiis exuebat, et sola contentus necessitate, reliqua in pauperes dispergebat. Nullo postmodum tempore tantae sanctitatis, tantae caritatis, tantae frugalitatis, tantae castitatis, tantae humilitatis, tantaeque bonitatis ac pietatis per ecclesias quâque per orbem diffusas christianissimos viros sequentia secula cognoverunt; quibus velut poli serena facies rutilis hinc inde compta sideribus, apostolorum dumtaxat [4] pedissequis ac successoribus, Catholica tunc mater renitebat Ecclesia.

Inter quae et hoc, de quo praesens sermo est, non inferius luminare, occidentalibus tenebris constat exortum; cujus radiis longe lateque diffusis perplurimi verum lumen adepti sunt. Quod divina clementia per annos circiter XLI. [5] ad suorum augmentum famulorum lucere in episcopali candelabro decibiliter jussit.

de urbe Mediolano loquens in Epist. XIII. Libri IV. ad Cornelium Tacitum, eam nobis exhibet tamquam studiorum sedem ad quam etiam ex vicinis civitatibus studiosi convenirent. Hic item Plinius ex eadem illa Epigraphe noscitur testamento Mediolanensibus legavisse in perpetuum H-S. C̄CC. pro THERmis et AMPLIVS IN TVTELA H-S. CC̄., item IN ALIMENTA PVERORUM ET PVELLARVM PLEBis VRBANae H-S. C., item IN TVTELAM BIBLIOTHECAE H-S. C. Consule de hac epigraphe Ferrarium *Monumenti della Basilica di s. Ambrogio*, pagina 193.

1 *Consules iniqui vel praesides.* Ex Eusebii Hist. Eccl. Lib. 3. cap. 33.

2 *Munda et immaculata usque tunc.* Ex Egesippo apud Eusebium H. Eccl. L. 3. cap. 32.: *μέχρι των τότε χρόνον πάρθενος καθαρά καί ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ Ἐκκλήσια. Usque tunc virgo pura et incorrupta mansit Ecclesia.* Non solum tamen usque tunc, sed et semper talis permansit.

3 *Suavis odor ... quo attractus quispiam.* Phrasis decerpta ex Cantico Cantic. cap. 1. *Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Oleum effusum Nomen tuum.*

4 *Dumtaxat:* scilic. *quidem, certe quidem.* Cic. 5. att. 10.: *Athenae me delectarunt: urbs dumtaxat et urbis ornamentum.*

5 *Annos circiter XLI.* Cum Auctore concordat Catalogus Biblioth. Ambr.: *Castricianus sedit annos xli;* tum caeteri omnes Catalogi.

Caput XII.

S. Castriciani obitus, et depositio in Coemeterio Romano.

Ipse denique vir se cupiens dissolvi, et esse cum Christo, quum diem sui obitus appropinquasse cerneret, accitis illico Presbyteris et Diaconibus, quos de omni credentium multitudine strenuos ordinarat in ministerium Ecclesiarum, quas ad annum usque Hadriani vicesimum primum, hoc est ultimum [1] (qui Trajano in regnum succedens de christianis populis eodem, quo praecessor ipsius tenore [2], fertur primo sui imperii tempore censuisse) mire coluit, sancte veneratus, optime gubernavit, dispositis per singulas pudicissimis, ac peritissimis choris, ut davidicos quotidie hymnos [3] ore intento, et corde puro concinerent: ipsisque in praesentiarum astantibus, imo de pectore alta trahens suspiria proloquutus est. *Deprecor vos, o filii, et fratres mei, ut detis operam priorum nostrorum scrutari tramitem, et Christi patientiam meditari. Adhuc enim modicum, et saevior ultra quam credi potest adversum Dei Ecclesiam persequutionis durissimae turbella concitabitur, conantibus iterum saevae mentis hominibus eradicare, divellere, atque conterere hortorum plantaria sacrorum, quae apostolicis sata laboribus, nostrisque irrigata sudoribus, Christo incrementum largiente, jam jamque pullulare, et fructus delectabiles afferre conspicimus. Vos ergo induti loricâ fidei, hostis antiqui tela contemnite, reminiscentes Martyrum agonas, et laude dignas victorias.*

Ego siquidem jam delibor. Nosse autem vos cupio, quod nocte hesternâ, quae praeteriit, mihi intempestae noctis silentio in oratione prostrato, atque pro pace Ecclesiarum, quae ubique sunt, Deum solito deprecanti, subito astitit dominus Gajus [4] *institutor meus, arridensque paululum, ut eum prosequar*

[1] *Ad annum usque Hadriani vicesimum primum hoc est ultimum.* Hadrianus imperium accepit die decima Augusti anni 117., obiitque die decima Julii Coss. Camerino et Nigro, nempe anno 138. post annos imperii viginti et menses undecim. Castricianus autem obiit Kalendis Decembris anni ipsiusmet vicesimi primi et ultimi imperii Hadriani; quae Kalendae signant diem primum Decembris anni 137. Coss. Caesare et Balbino. Jam vero ab initio anni 97. quo Castricianus pontificatum mediolanensem inivit usque ad Decembrem anni 137. si annos supputes, habebis numerum 41.

[2] *Eodem quo praecessor... tenore.* De Hadriani persecutionibus erit sermo ad caput XIII.

[3] *Dispositis per singulas... choris ut hymnos...* Horae canonicae ex psalmis Davidicis praecipue contextae recitari in Ecclesia consueverunt usque a temporibus apostolicis. Auctor Constitutionum Apostolorum qui vixit ante finem saeculi tertii, Lib. VIII. C. 34. refert apostolicum hoc edictum: *Precationes facite mane, tertia, sexta, nona, vespere atque ad galli cantum: si ad ecclesiam prodire non licuerit, congregabit episcopus in domo aliqua.* Vide etiam s. Cyprianum *De Oratione Dominica.* Haec tamen psallendi ratio omnibus quidem comunis erat clericis et laicis: ast proprie officium erat clericorum; qui omnes plerumque simul in unâ tantum ecclesiâ per singulas civitates ad psallendum congregabantur. Castricianus tamen per singulas tres basilicas a se aedificatas, Philippaeam, Portianam, Faustinam, clericos ad psalmos canendos disposuisse narratur.

[4] *Astitit Gajus.* Hujusmodi visiones vel ap-

jussit. Quocirca noveritis, me ad ejus obsequium festinatum ire. Me autem exitu, quo Deus jusserit, sublato de hoc, quo retentor, ergastulo, exanime corpus defossâ in altum terrâ deponite. Futurum est namque ut non solum vivos, sed persequantur et mortuos; ipsosque tumulos fundo tenus subruentes, arida busta rogis immittant; dicent enim, ne forte dii aliquando christianorum effecti [1] *venerentur, adorentur, atque colantur. Ergo, ut precatus sum, terram terrae reddite, clanculoque recondite, non designantes* [2] *tumuli locum.*

Memores praeterea praeceptorum estote Dominicorum, et ea vestro in gutture, velut munda animalia, sedule ruminanda reponite, nec vos persequutionis transitoriae atrocitas a Christi unquam soliditate avellat, avulsosque lethaliter diruat. Prae oculis habetote, quia et sata patrisfamilias hyemali prius decoquuntur pruinâ, diutino frigore, ac niveâ crustâ stipantur, ut queant postmodum centuplicata resurgere. Ob hoc itaque minetur saevus tyrannus ignes, cruces, ac feras bestias, infligat excogitata tormenta, et verbera, omniaque superadjiciat suppliciorum genera arte diabolicâ adinventa [3]*: nihilominus a Christi vos charitate non praevalebit sejungere, si ejus semper inhaereatis amori, illius assidue insistatis aspectui; sicque fiet, ut quum vos divinis intentos excubiis hostilis mucro percusserit, laniarit, ac peremerit, vigilantium a Christo Domino servorum beatitudine sine mora donemini.*

paritiones in somnis plures narrantur in Actis Martyrum. Vide Euseb. Hist. Eccl. L. VI. c. 1., Acta s. Perpetuae apud Ruinart; quae Acta s. Augustinus magni faciebat et tribus Sermonibus commentatus est.

[1] *Ne forte dii christianorum effecti.* Hoc quidem legitur in Actis s. Polycarpi Episc. et Mart. *suggestum proconsuli ne corpus Polycarpi ad sepeliendum christianis traderet; ne relicto Crucifixo hunc colere incipiant.* μὴ ἀφέντες τὸν ἐσταυρωμένον, τοῦτον ἄρξονται σέβεσθαι. Hoc autem per ironiam dicebatur.

[2] *Non designantes tumuli locum.* Christianos martyres saepe honore sepulturae interdictos legimus in Actis Martyrum, praecipue Lugdunensium et Viennensium in Galliâ qui passi sunt hoc eodem seculo secundo. *Corpora canibus objciebant; sollicite observantes ne quis nostrorum ea sepulturae mandaret... Nos vero gravissimo dolore premebamur quod humare cadavera nobis non liceret.* Acta vero s. Mart. Saturnini Episcopi Tolosae pariter in Gallia circa medium sequentis saeculi tertii, referunt, illius *corpus tumultuariam eo tempore meruisse sepulturam. Nam... duae tantum mulierculae beati viri corpus, in primo loco, coactis apte scrobibus, condiderunt: ut venerandas Reliquias non tam sepelire quam abscondere viderentur: ne forte sacrilegae mentis homines, si aliquid conditi corporis tumulo viderent honoris adhiberi, effossum statim corpus in frusta discerperent et eriperent etiam ipsam tenuem sepulturam.* Hoc quoque Mediolani in illis persecutionibus evenit: nam sepulchra apud s. Nazarium inventa anno 1845. et ad tempus Martyrum pertinentia, quum interius omnia expolita essent, et picturis ornata, exterius nullum signum tumuli, nullam literam, nullum ornamentem præferebant.

[3] *Ignes, cruces... arte diabolica inv.* Ex celebri Epistola s. Ignatii Mart. ad Romanos scriptâ circa ann. 108. haec sumpta videntur. Scribebat enim sanctus Episcopus: *ignis, crux, ferarum turmae, incisiones, distractiones et disjunctiones ossium, amputationes membrorum, totius corporis contusiones, dira diaboli tormenta in me veniant: dummodo consequar Jesum Christum.* Iidem sensus apud Paulum cap. 8. ad Rom. *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an persecutio?... an gladius?* etc.

Hujuscemodi vero terminatis alloquiis, quum elevatis ad Coelum oculis paululum orationi incubuisset, ultimum vale dicens astantibus, supernae curiae agmini miles victoriosissimus, dux quoque gloriosissimus, in perpetuum commilitaturus, accessit ad superos, postquam sanctitate praecipua et castitate firmissima, sobrietate multimoda decem fere lustra in ecclesiasticis transegerit antistes officiis [1]. Quod in eo nimium nimiumque mirandum, quia ita in exercitiis animae, et virtutibus abstinentiae palmam servavit eamdem perseverantiae, ut nihilominus in senectutis lassitudine velut in juventutis certaret fortitudine. Par in eo mentis vigor, sensus iidem erant; propter quod illi diuturno certamine plus meritorum accreverat. Talis Castriciani beatissimi in initio fidei normula vitae; talis usque ad obitum cursus fuit.

Obiit [2] autem die Kalendis Decembris, sepultus a discipulis juxta condictum, in Coemeterio, quod dicitur, Romano [3], eâ scilicet viâ qua Romam tenditur, haud longe ab Arcu Triumphali [4]. Quem locum hominibus quidem diu incognitum, Dei autem oculis notum, palanterque postmodum manifestatum [5] his quos dignos summa sanctitas fecerat, aperte cognovimus.

Reliqua vero miranda virtutum

1 *Decem fere lustra in ecclesiasticis... antistes officiis.* Decem lustra, scilic. per annos circiter quinquaginta: quo numero intelligendi sunt anni episcopatus et presbyteratus: uterque enim Ordo venit sub nomine Sacerdotis sive *Antistitis.* Addidit *fere* quod et *plus* et *minus* significat: hic autem revera habemus annos paulo plus quinquaginta. Castricianus enim Diaconus fuit aliquot annis, deinde sub finem vitae s. Gaii circa annum 85. ordinatus Presbyter mansit in hoc gradu, annis undecim: demum anno 97. ineunte sacratus episcopus fecit annos quadraginta unum. Itaque haec esset ejus chronologia et biographia: *Castricianus Mediolanensis, Diaconus Annis... Presbyter Annis XI. Episcopus Annis XLI. Depositus in Coemet. Romano Kalend. Decembr. Caesare et Balbino Cos. Hadriano Imp. XXI.*

2 *Obiit die Kalendis Decembris.* Hanc diem signant omnes Catalogi veteres, et martyrologia. Fortasse loco *die* legendum est *in*, quod grammaticis legibus magis consonum: ita porro Catalogus Metropolit. *in Kl Decembr.*

3 *Sepultus juxta condictum in Caemet. Rom. Juxta condictum* jam ab ipso Castriciano, nempe ut secrete et in fovea valde profunda conderetur. Coemeterium Romanum extendebatur extra Portam Romanam ab ecclesia s. Joannis ad Concham usque ad s. Nazarium: dicebatur etiam *Coemeterium Peregrinorum* quod peregrinis tumulandis dispositum esset. De hoc sicut et de caeteris antiquis Mediolani coemeteriis erit sermo ad calcem operis.

4 *Haud longe ab Arcu Triumphali.* Arcus iste *Triumphalis* vel *Romanus* appellatus, opere magnifico et solidissimo constructus, situs erat super viam romanam in loco ubi nunc est latus sinistrum pontis Navigii prope s. Nazarium: dictus *Romanus* probabiliter quia viam romanam ornabat et muniebat: item *Triumphalis* quod ab aliquo duce romano, velut triumphi monumentum, erectum fuerit. Porro Syre Raul scriptor rerum Friderici Ænobarbi eique coaetaneus, rem confirmat: *dicebatur quod Romani quando Mediolanum subjugaverunt, in signum victoriae eum aedificaverunt.* Neque res exemplis caret: nam Florus De Gestis Romanor. Epitome, L. III, cap. 2, de Bello Allobrogico, refert, Domitium Ænobarbum, et Fabium Maximum, victis Allobrogibus, *ipsis quibus dimicaverunt locis saxeas erexisse turres, et desuper exornata armis hostilibus trophaea fixisse.* Iste Arcus triumphalis stetit usque ad cladem Ænobarbi scilc. usque ad annum 1162: nec postea ullum vestigium reliquum fuit. Vide Gratiolium *De Ædificis Mediol. ante Ænobarb.*, cap. 3.

5 *Quem locum incognitum, postmod. manifestat.* Corpus s. Castriciani ita secrete et pro-

illius gesta solius causa compendii transeo, quia ad alia festino. Quamquam hic vilior stilus a tam magnis declinare tutius putet; eo quod praesentium temporum [1] novelli auditores vocalioribus sententiis, quasi tinnientibus cymbalis, multo amplius delectentur, et syllogismorum magis consonantium modulis, quaeque legerint, vel audierint, quam rerum gestarum pondere metiantur. Quamobrem ad ea, quae in prospectu sunt, navalem cursum dirigamus; quia Urbis, quam adnavimus exploratum, non enormes propugnaculorum materies, et turritas illius multiplices minas, vel circumductas muris fortissimis machinas viritim describendas, sed portarum solummodo introitus et egressus brevi calamo designandos, cataractasque fusiles [2] potius adnotandas, quam dimetiendas, suscepimus. Age ergo, porta quae sequitur, qualis quantaque sit, attentius propensetur.

Caput XIII.

Hadriani Imp. in Gallia Cisalpina persecutio. S. Kalimeri electio et virtus pastoralis.

Translato ad coelestem curiam viro praeclarissimo Castriciano, atque

funde sepultum fuerat ut locus diu ignoratus manserit; qui tamen tempore Auctoris, deo revelante, manifestatus est. Cum vero Auctor nihil dicat de Translatione Corporis, conjciendum est eodem loco relictum fuisse ubi primo repositum fuerat et ubi semper postea sacris fidelium honoribus frequentatum est; nempe ubi ecclesia s. Joannis *ad Concham* erecta est. Quare omnes Catalogi etiam antiquissimi notant *s. Castricianum depositum Kl. Decembr. ad sanctum Johannem ad conca*, vel *ad concham*, nempe in ecclesia s. Johannis in concâ olei ferventis plenâ immersi et nihil laesi. Quae ecclesia antiquissima est et una ex stationibus Litaniarum, jamque ab annos 875 (Giulini, *Memorie di Milano*, L. XVIII) memorata sub titulo s. Johannis ad Concham. Nihilominus Auctor qui acurate notat ecclesiarum erectiones, de hac nihil dicit. Cur? Quia haec ecclesia nondum tempore Auctoris aedificata erat. Ecce nova semper argumenta de Auctoris antiquitate. Ultimo notandum est, ecclesiam s. Joannis *ad Concam* anno 1810, ut aliae plurimae, profanatam: ast corpus s. Castriciani nondum repertum esse.

1 *Praesentium tempor. novelli auditores.* Tempore Auctoris erat igitur multa de studiis et eloquentiae ornatu exquisitio; et scribendi gustus conversus ad harmonicam et sonantem dicendi rationem, ad ampullas et verborum nimis affectatum artificium. Quod quidem vitium nunquam tantum fuit quantum initio saeculi VI uti videre est, prae caeteris, in s. Ennodio Episcopo Papiensi, Auctori coaevo: vitium tamen quod supponit viguisse illâ aetate studia, et literas valde excultas, et eruditionem multo in honore fuisse. At vero post saeculum VI, irruentibus barbaris, omnia vastata sunt, literaeque fere extinctae, adeo ut siquid fuit reliqui, nihil nisi barbarum spirabat. Hoc fusius demonstratum in Disert. I, cap. V.

2 *Turritas minas... cataractas fusiles.* Sub allegoria urbis fortissimae explorandae et describendae sibi Auctor repraesentat Ecclesiam Mediolanensem ejusque historiam; humiliterque fatetur se solum de portis sermonem facere audere, scilicet de sanctis ejus episcopis. *Turritas minas.* Auctor videtur habuisse prae oculis illos Virgilii versus Æneid. L. IV.

Non coeptae assurgunt turres, non arma juventus
Exercet, portasve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, minaeque
Murorum ingentes, aequataque machina coelo.

Minae, scilicet, *i merli delle torri, i minaretti.*— *Cataractas*, scilc. portas pensiles. Tit. Livius, *Hist. R.*, L. XXVII. *Porta, cataractâ dejectâ, clausa erat.* Vegetius Rei Milit. L. IV. *In ingressu portae ponitur cataracta, quae anulis ferreis ac funibus pendet.* Fusiles quia ex ferro vel aere fuso conflarentur.

in senatorum inlustrissimorum concilio quasi bellicosissimo censore, ac veterano triumphatore nitenti subsellio decibiliter sublimato, plebs viduata fidelium, immodicâ urguebatur tristitia; anxiâ multum, et geminae hinc inde moestitiae angore prolapsa, primum de Pastoris obitu et destitutione sui, demum de praelegendo successore; qui difficile posset tanti viri compar illo in tempore inveniri. Quandoquidem pestiferâ Ælii Hadriani vexatione per totum Romanum orbem [1], maximeque eâ parte Italiae, quae Cisalpina Gallia nomen habet [2], Dei Ecclesia duriter quatieba-

1 *Hadriani vexatione ... Dei Ecclesia dur. quatiebatur etc.* Hoc quidem exeunte anno 137: Hadrianus autem mortuus est die decima Julii anni 138. Quae de Hadriano sub finem vitae ad saevitiam contra christianos converso Auctor asserit, verissima sunt. Percurramus singula. *Primo imperii eventu mitem se se erga christianos.* Equidem Hadrianus nullum contra christianos edictum tulit: imo cum vi aut praetextu legum Neronis, Domitiani et Trajani, huc illuc in christianos persecutio esset, eaque *gravissima* ut inquit Hieronymus, Hadrianus motus Apologiis Aristidis et Quadrati, tum litteris Sereni Grannii Legati, persecutionem inhibuit. *Postmodum ad geminam, velut canis rabidus, conversus insaniam,* scilicet ultimis vitae annis. Spartianus enim in *Hadriano* cap. XXIII, testatur illum sub finem vitae nimia se crudelitate foedasse, *saevitiâ* illi *ingenitâ.* Pagius autem ad annum 136, II. asserit hoc anno « festa Vicennalia Hadriani celebrata, quâ occasione urbs Hierusalem Ælia appellata et persecutio adversus christianos continuata. » *Multorum martyria:* s. Getulius tribunus, s. Amantius tribunus, s. Cerealis Vicarius Praefectus, s. Telesphorus papa, et plures alii sub ultimis annis ab Hadriano morte mulctati sunt. Vide Baronium in Annalib. et in Notis Martyrologii. Inter hos vero eminet s. Symphorosa cum septem filiis martyrium Tibure passa, quorum extant Acta sincera. Nam cum Hadrianus Palatium magnificentissimum prope Tibur aedificasset (sub finem vitae; ut narrat Spartianus eodem cap. XXIII et Aurelius Victor de Caess. c. XIV) illudque dedicare vellet, sacerdotes idolorum occasionem inde arripuere quâ Hadrianum ad Symphorosam et septem ejus filios Tibure degentes occidendos impulerunt. Acta autem apud Ruinart ex MSS. Colbertino, Sorbonico, et Mombritii nostri subdunt, Hadrianum post Symphorosae martyrium morbo horribili captum *prope annum* cruciatum fuisse, deinde Baiis vita cessisse. Auctor itaque vera scripsit.

2 *Vexat. maxime eâ parte Italiae quae Cisalpina Gallia nomen habet.* Ss. Faustini et Jovitae, qui Mediolani cruciati Brixiae confecti sunt, martyrium Pagius (ad ann. suum 120, II. et ad ann. 134, II.) et Henschenius (in Vita s. Afrae 24 Maii) referunt ad ann. aerae vulg. 134, scilc. prope finem vitae Hadriani. Item s. Caloceri, qui Mediolani vexatus Albingauni consummavit; tum s. Afrae quae Brixiae coronata est. Pariter s. Sophia civis Mediolanensis hoc tempore Mediolano fugisse videtur ob persecutionis furorem cum tribus filiabus virginibus Fide, Spe, Charitate, quae Romae martyrium fecerunt. Eas Mediolanenses fuisse testatur antiqua earum Vita scripta a Joanne Presbyt. Mediolanensi apud Mombritium, tum Alciatus, *Hist. Mediol.*, L. III, Ferrarius, in *Catalogo SS. Italiae* ad diem 30 Septbr. Notare juvat s. Sophiam a multis solum ut matronam sanctam coli; at nobis et ipsam exhiberi ut martyrem in Papyro Gregoriana Modoetiae asservata, scripta versus finem saeculi VI. in qua est *Nota* vel Notitia *de Olea Sanctorum Martyrum qui Romae in corpore requiescunt:* ex quibus oleis partem una cum Papyro s. Gregorius M. misit Theodelindae reginae Langobardorum. In hac duabus vicibus Sophia memoratur inter martyres unâ cum filiabus.

Lege: *Sanctae Sophiae cum tres filias suas;* tum

tur. Qui primo imperii eventu mitem sese erga christianos viros mentitus, postmodum ad genuinam velut canis rabidus conversus insaniam, invidorum quorumdam insolentiâ, vulgique vecordis stultissimis acclamationibus adeo irritatus est, ut multorum, jussu ejus, martyria et cruciatus sanctorum quaquaversum insonarent. Hac ergo causa collecti pariter christiani Jesum implorabant gemitibus cordis, et lacrymarum fontibus hinc indeque manantibus. Sed Deus Omnipotens, qui suorum opportuna Fidelium, maxima semper cum pietate, et paterna solicitudine providet[1], non passus est suam plebem sibi sedule obsequentem necessariis diutius viduari praesidiis: quin potius solitum continuo postulatus, quod ante secula praescierat, et praedestinarat, praebuit adminiculum.

Erat namque id temporis in clero Faustae Ecclesiae delegato, vir sanctissimus, generis prosapia grajus, sed morum illustrium scientiaeque probitate romanus, cui nomen Kalimerus[2]. Qui multâ abstinentiâ, et jugi vigilantiâ peroptime saginatus, porro etiam indefessâ divinorum dogmatum meditatione abundantissime farcinatus (qualem Dei Sapientia beatum appellat, *Beatus,* inquiens, *qui vigilat ad me, et observat quotidie ad postes ostii mei*) facile poterat confratribus, et condiscipulis bonorum operum et evidens documentum tribuere, et ingens exemplum praestare. Sed quia solet nonnumquam in talibus infaustus latere jactantiae fastus quodam fictae sanctitatis velamine palliatus, et male casurum flebilis extollentiae subripere supercilium; is, quem loquor, vir mirificus, et omni laude celebrandus tantae humilitatis tantaeque fuit sanctitudinis, ut non solum cunctis in clero subjectis fratribus, verum etiam minimis quibusque officiis esset semper intentus.

De hoc varie a diversis narratur; sed certior est quorumdam super eo, ut suspicor, relatio: quam in praesenti materia, licet succincte, utillimum puto adjicere. Decennio fere ante venerandae memoriae Castriciani Praesulis excessum *Romam venerat*[3]. Dum Hadrianus infelix deteriorari,

Sanctae Sapientiae
Sanctae Spes
Sanctae Fides
Sanctae Caritas.

S. Sophia cum tres filias suas, quae sunt graece Elpis, Pistis, Charitas, eadem est ac quae latine *S. Sapientia cum Spe, Fide, Caritate:* nam Martyrologia modo graece modo latine illas appellant. Duabus vicibus hic nominantur; quia cum pars corporum illarum asservaretur in Basilica Vaticana, pars in Ecclesia s. Sylvestri in Campo Martio, et in utroque loco cultu sacro et lampadum lumine honoratae essent; tum ex utroque *olea sancta* deprompta sunt et missa ad reginam Theodelindam sub duplici titulo latino altero, altero graeco juxta diversum titulum qui in usu erat in unaquaque Ecclesiâ. Itaque et Sophia a s. Gregorio M. in *Sanctorum Martyrum* numero *qui Romae in corpore requiescunt* censa, et bis censa.

1 *Deus opportuna Fidelium.... providet.* Similiter Tacitus 4. *Annal.* 24. *Locorum opportuna permunivit.*

2 *Kalimerus.* Pater Sirmundus in notis ad s. Ennodii Opera mavult appellari *Kalemerus:* nam graece Καλή ἡμέρα est, scilc. *bonus dies.* Kalimerus scribitur et per C: at MSS. habent K.

3 *Romam venerat. Dum Hadrianus,* etc. In

ut praefatus sum, a meliori proposito statuisset, et Christi cultores persequi non modo per alios, sed se ipso fautore, insani capitis poenas luituro, decretis vulgatis [1] coepisset: eâ tempestate Romanae quoque Ecclesiae Summum Pontificem Telesphorum [2] magnis virtutum praeconiis insignitum, (cujus sagacitate [3], atque industria suprataxatus vir Dei Kalimerus saluberrimis actibus, et sacris monitis a puero fuerat informatus), inter sepulcra [4] martyrum latitantem, excitata lues inveniens, martyrum meritis, et numero copularat; aestimans quia si ipsum caput deterrere ac percutere valuisset, hoc est Romanum Pontificem, subjectiora facilius membra, idest diffusas quaque per orbem ecclesias, et earum praesules degluberet, atque confoderet. Quum ergo adhuc puer [5] in junioribus degeret annis, veritus ne, si ad poenam simili modo ut Magister raperetur, durare non posset, secessit ab Urbe latenter. Dumque fugitivus viator aliquod oberrando diebus nocturnum conficeret iter, Dei tandem revocatus auxilio, Albam pervenit ad urbem [6], quae alio nomine Mediolanium dicta est. Ibidem saepe memoratum Praesulem, utpote christianorum patronum famosissimum, requirens invenit Castricianum. A quo benignissime susceptus, ac non multo post in omni patientia, et fidei documentis probatus inventus, reliquo discipulorum ipsius coetui coadunatus est. In quo quanta solicitudo in divinis obsequiis, quantus mutuae caritatis affectus in fraternis officiis excreverit, non est hujus nostrae exilitatis evolvere. Quocirca supersedendum de his magis arbitror, et ad cetera festinandum.

MSS. Ambros. et in Apographo Pizzolpassi ante *Dum* est punctum pausae: itaquae necessarium duxi supplere antecedentem periodum verbis *Romam venerat* desumptis ex mox dicendis. Papebrochius similiter supplevit: *Hic decennio fere ante ven. mem. Castritiani Praes. excessum, juvenem se dederat in disciplinam s. Telesphori Papae.*

1 *Decretis vulgatis.* Non quidem lege generali sed rescriptis, uti in rescripto ad Antiochum Alpium Cottiarum Praefectum.

2 *Ea tempestate s. Telesphorum.* Telesphorus martyrio coronatus est *IV. Nonas Januarii Coss. Caesare et Balbino,* scilc. anno 137. die 2. Januar., ut refert vetustissimus Catalogus PP. a Bolland. editus et Pagius sub anno suo 137. N. XII. Telesphorum vero *gloriosissime martyrium* subiisse scribit etiam s. Irenaeus L. 3. c. 3. Τελεσφόρος, ὅς καὶ ἐνδόξως ἐμαρτύρησε.

3 *Cujus sagacitate. Kalimerus a puero fuerat informatus.* Hoc referunt et Acta ss. Faustini et Jovitae ex antiquissimo MSS. s. Maximini Trevirensis apud Bolland. 15. Februarii.

4 *Inter sepulcra martyrum latitantem.* Haec verba leguntur etiam in Actis ss. Faustini et Jovitae ex MSS. Neapolitano saeculi IX. juxta Labusium: *Repererunt beatum episcopum Telesphorum inter sepulcra martyrum latitantem.* Acta vero ex MSS. s. Maximini supra citata: *Romano Pontifice qui eodem tempore occultus ad Catacumbas morabatur.* Ex hoc consequitur extitisse olim Acta sincera ss. Faustini et Jovitae ex quibus Auctor noster deprompsit hanc de Telesphoro notitiam, quae servata est etiam in Actis posterius corruptis.

5 *Adhuc puer.* Castricianus e Graecia digressus, Romam in disciplinam s. Telesphori venisse non minor annorum viginti credendus est. Decem annos Telesphoro magistro usus est. Mediolanum igitur venit non minor annorum triginta. Puer autem apud Latinos dicebatur etiam qui 35. et 37. annos natus esset, uti demonstravi pag. 26. nota prima.

6 *Albam urbem ... Mediolanium.* Vide pag. 7.

Interea, ut coepta subsequar, quum gravi omnes moerore afficerentur de restituendo pastore ovili destituto, et nullus auderet vel cogitare de se ipso, vel proferre de socio, vixdum coelitus attacti [1] ad reverentissimum Kalimerum se se convertunt, in quo, velut speculari lapide [2], sui Magistri et vitam mirabilem, et praeclara dogmata uno pariter oculo, unoque auditu contemplabantur ac perdiscebant. Deposcunt ergo illum humiliter, ut suis miseratus sodalibus, Pastoris non abnuat officium pertinaciter, cui non parvum meritum diuturni temporis felix contulerat exercitium. Quid multis moror? Recusanti omnimodis, et velut hosti cuidam acriter obsistenti, vis laudanda ingeritur. Ducitur catenatus [3] domesticis futurus Pastor ab ovibus, et non nisi episcopali sacrandus benedictione absolvitur.

Postremo sacratus in Episcopum, tantam providendis a se ovilibus curam strenue impendit, ut juxta quod sui aptissime nominis idioma concinit, boni diei, qui Christus est, assertor [4] existens, ab idolatriae tenebris multorum depelleret mentes, ac lucis aeternae compotes efficeret. Quanti autem per ipsum Baptismi lavacro abluti, quanti animo simul, et corpore curati, quae vox, quae poterit lingua retexere? Nullius umquam accessus ad eum sine salubri documento, nulliusque recessus ab eo sine viatico opportuno; nullius in qualicumque anxietate postulatio absque competenti coram illo effusa est remedio.

Verum persequutionis turbine, etiam Hadriano perempto [5], necdum quiescente, sed sub Antonino successore ipsius atrocissime saeviente [6], iste, de quo sermo est, non jam ut

1 *Coelitus attacti:* phrasis *de coelo tactus* frequens est apud poetas, et apud Livium; significatque *e coelo percussus, fulmine ictus.* Hic tamen videtur alius esse sensus; nempe *coelesti monitu impulsi, coelitus corde tacti.*

2 *Speculari lapide:* Lapis Specularis erat candidi coloris, translucidus, qui vitri vice ad plures usus adhibebatur. Plinius L. 36. 22.: *Specularis vero lapis scinditur in tenues crustas.* Lactantius *De Opif. D.* 8. *Transpicit per fenestras, lucente vitro aut speculari lapide obductas.* Specularis autem appellabatur, vel quia ad speculas sive fenestras pro vitro adponi soleret, vel quia speculi vices praestaret.

3 *Ducitur catenatus.* Historia Ecclesiastica, praesertim antiqua, plena est casuum hujusmodi, nempe Pastorum qui ad onus pastorale subeundum hoc vel simili modo pertracti sunt. S. Ambrosius, exempli gr., quanto conatu episcopatum declinare tentaverit, omnes sciunt.

4 *Boni diei assertor.* Alludit nomini Kalimeri, quod significat *bonus dies.* Christus autem in Scripturis appellatur *Oriens, Dies, Lux mundi* etc.

5 *Hadriano perempto.* Hadrianus longo et intolerabili morbo confectus, vitae pertaesus, et *omnibus invisus*, inquit Spartianus, consilio medicorum cibo et potu abstinens, die VI. iduum Juliarum, anni aerae vulg. 138. interiit: idcirco moriens exclamavit: *medici me peremerunt.*

6 *Persecutionis turb. sub Antonino successore saeviente.* Auctor asserit, Antoninum Pium subito, initio regni, *in christianos persecutione atrocissima saeviisse:* quod mire concordat cum Apologiâ s. Justini Martyris Antonino Pio Imperat. repraesentata, quamque Pagius (ad ann. suum 148.) multis validisque argumentis assignat anno aerae vulg. 139. qui primus erat regni illius coepti die 10. Julii anni 138. Justinus igitur sua in Apologia ait: *Propter confessionem* (christianae fidei) *nos torquetis... causâ non judicatâ supplicia infertis... Ad mortem rapimur,* etc. Idem Justinus in *Dialogo cum Triphone* hebraeo, scripto juxta Pagium paulo post

prius fugae metu abdita penetrabat, sed audacter palanterque paganos refellens ritus, prompto animo ad perferenda quaeque pro Christo dura et aspera sponte se ipsis tribunalibus ingerebat. Quin etiam carcerum ergastula ultro ingrediens, Christi militum animos ad passionum tolerantiam incitabat, non solum gravia quaecumque pro Christo pati, sed mori insuper paratus.

Persaepe [1] denique cum vinculatis vinculatus, saepius cum flagellatis paene exitialiter flagellatus, saepissime quoque dum falsorum protereret portenta deorum, et eorum cultores vanos, coecos, ac miseros palam cunctis ediceret, caesus diutissime, carpentoque superimpositus, cum exulantibus exiliatus est. Sed quia in eo totius patriae salus, et vita omnium consistere absque dubio credebatur,

illam Apologiam, circa annum 140., sub eodem Antonino Pio, ait: *Gladio percutimur, et in crucem agimur, et bestiis objcimur, et vinculis et igne, et tormentis aliis omnibus plectimur et excruciamur... In toto mundo nemini christianorum vivere permittitur.* Quae persecutio ubique saeva, non mitior certe esse debuit Mediolani: nam sub initio hujus anni 140. ipse Antoninus Augustus Mediolani fuit, dedicavitque Aquaeductum: cujus rei monumentum est epigraphe a Ferrario *Monumenti della Basilica di sant'Ambrogio* pag. 38. explanata

IMP . CAESAR . T . AELIVS . HADRIANVS . ANTONINVS
AVG . PIVS . COS . III . TRIB . POT . II · P . P .
AQVAEDVCTVM . IN . NOVIS . ATHENIS . COEPTVM . A . DIVO
HADRIANO . PATRE . SVO . CONSVMMAVIT . DEDICAVITQ.

Tertius Antonini consulatus coepit Kalendis Januarii anni 140.: secunda Tribunitia Potestas desinebat V. Kalend. Martii. — *Novae Athenae* appellabatur Mediolanum ob studia florentissima; *Aquaeductum*, qui nunc *Vitabia*, ad aquam Lavacro Herculeo (ubi Ecclesia s. Laurentii) sufficiendam constructum historici nostrates confirmant, Sassi *de Studiis Mediol. Prodromus:* Giulini *Memorie;* aliique. — Quid mirum, si Imperatore Mediolani degente, sacerdotes idolorum, praesides iniqui, turba populi insani in christianos persecutionis sententias obtinerent?

[1] *Persaepe... saepissime.* Quae hic narrantur, ego sub Marco Aurelio successore Antonini contigisse arbitror. Nam illud *persaepe, saepissime* indicat plures vices, longa tempora et intervalla: at vero Antonini persecutio brevi duravit. Illa econtra quae sub Marco Aurelio excitata est, fuit et saeva et diuturna et generalis: qua, ut inquit Eusebius, *innumerabiles prope Martyres per universum orbem enituerunt.* Haec persecutio coepit anno 167. (ut tradunt Eusebius in *chronico* et Idacius in *Fastis*); Marco Aurelio et Lucio Vero Imperatoribus Augg.; Lucio Vero Aug. III. et Quadrato Coss.: quo anno *Festa* illorum imperii *Quinquennalia* solitis idolatriae superstitionibus celebrata fuisse Pagius demonstrat. Quae quidem persecutio etiam Mediolani acerbe saeviisse debuit: siquidem DECRETO DECVRIONVM Mediolanensium, Lucio Vero Aug. honorem maximum tributum hoc ipso anno videmus, scilc. dedicatas Thermas Herculeas, opus vere romanum: cujus dedicationis epigraphe adhuc legitur ad Columnas s. Laurentii, tanti aedificii reliquias.

IMP · CAESARI
L · AVRELIO · VERO
AVG . ARMENIACO
MEDICO . PARTHICO
MAX. TRIB. POT. VII.
IMP. IIII. COS. III. P. P.
DIVI . ANTONINI . PI . F.
DIVI . HADRIANI
NEPOTI . DIVI
TRAJANI . PAR
THICI . PRONE
POTI . DIVI . NERVAE
ABNEPOTI
DEC . DEC.

Inter haec quinquennalium et dedicationum festa, sub magistratibus Imperatorum ingenio et superstitionibus addictissimis, equidem christianis nulla quies esse poterat, episcopo praecipue.

ut vinculis eximi, ut plagarum inflictarum livori mederi, ut ab exiliis reduci quantocius posset, summa Fidelium cura incunctanter satagebat.

Caput XV.

Depositio sancti Kalimeri martyris Mediolanensis Episcopi.

Attamen, ut moris est, amore paucorum bonorum, multorum magis magisque adversus illum concitata sunt odia perversorum. Mittunt denique, et nefando Caesari de nomine Kalimeri suggerunt [1]; illum totius auctorem sceleris, maleficorumque omnium principem, deorum injurias temerarie per plateas garrientem, ab eorum debito cultu totam paene Liguriam [2] avertentem, praemissis supplicationibus, nuntiant. Dedecus Reipublicae futurum inclamitant, si ab uno detestando, ac disperdendo sene deorum magna potentia derideatur, atque impune ab uno jugiter derisa turpiter ab omnibus contemnatur. Mox igitur datâ sententiâ [3] praecipitur, ut ubicumque inventus fuisset, sine mora puniretur. Sed vir sanctus plus divinum imperium perpendens, quam vitae praesentis excidium metuens, non diebus, non noctibus incoepto desistebat.

Unde contigit, ut cum aliis in Romuleo inventus Coemeterio [4], quod est in latere ejusdem urbis meridiano, haud longe ab Apollinis fano [5],

1 *Mittunt... et Caesari de nom. Kalimeri suggerunt.* Iste Caesar fuit Imperator Commodus: nam cum hic narretur martyrium, quod Kalimerus pertulit anno sui episcopatus quinquagesimotertio, si ab anno 137. desinente quo cathedram adscendit, enumeres annos 53., habebis annum aerae vulgaris 190. quo romano imperio praeerat Commodus Caesar Augustus. Nec nos dubitare sinit ipse Auctor qui in fine hujus capitis Augustos recensens sub quibus Kalimerus episcopatum egit: *Fuit* inquit, *temporibus Hadriani, Antonini, item Antonini, et Commodi.* Commodi autem agebatur annus imperii, coepti cum patre XV., solius XI.

2 *Totam Liguriam.* Brixiae multam sollicitudinem Kalimerum impendisse tradunt ipsimet brixienses agiographi apud Puccinellum, *Zodiaco:* Dertonae vero constituisse episcopum s. Marcianum ipse hic Auctor innuit in s. Materno: *sanctissimae memoriae Marcianus beati Kalimeri magisterio informatus et ipsius in praedicatione aliquando comes, episcopali Terdonae curae delegatus est.* Ad coeteros Transpadanos lucem evangelii attulisse ex Auctore eodem constat; et Carolus Bescapè in Hist. Mediol. pro certo narrat.

3 *Mox datâ sententiâ praecipitur ut... puniretur.* Haec mortis *sententia* ab Imper. Commodo *data* est; et ultima die Julii anni ejusdem 190. exsecutioni mandata. Quae quidem omnia optime cum profana historia concordant. Nam Commodus, utut vitiis et saevitiâ perditissimus, christianis tamen pene favebat. Ast anno hoc 190., Coss. Commodo ipso Augusto VI. et Petronio Septimiano, ipse Commodus solemnissima dedit Festa sui Imperii Quindecennalia, et omnium celeberrimam munerum exhibitionem (Euseb. Chron.); voluitque, teste Herodiano Lib. 1., vocari *Hercules, Jovis filius,* et sibi tamquam Deo sacra fieri; indictâ gladii poenâ iis qui hoc detrectarent, ut Dio *in Commodo* refert. Itaque plures Romae ad martyrium adacti sunt, Pontianus, Vincentius, Eusebius, Julius senator, Antonius carnifex, aliique multi: de quibus vide Baronium ad annum 192. vere autem 190. Hanc nacti opportunam occasionem Mediolanenses idolorum sacerdotes Kalimerum ad Commodum detulerunt, tamquam in deos et Caesarem injuriosum; et mortis sententiam obtinuere.

4 *Romuleo Coemeterio:* De Romuleo sive Romano Coemeterio vide notam 3. pag. 45.

5 *Apollinis fano.* Hoc Apollinis fanum surgebat non multum procul a Romano Coemeterio, ubi Ecclesia ipsius s. Calimeri aedificata est. Quae quidem Ecclesia tertio aut quarto

ubi cum consueto donario et thure [1] tendentes oratum intuens quosdam, acrius more solito increpabat, ab eisdem, quos pie admonebat, inhoneste correptus, Phoebi traditur excubitoribus, horrendo poenarum genere puniendus. Quem illi inveteratum dumtaxat [2] suorum deorum captum inimicum attendentes, gaudio immenso exhilarati, laudes dabant summas victoribus diis; adeo ut plausu theatrico chorus repleri, tellus concuti putaretur.

Tum vero insurgunt pariter, et Sanctum Dei Kalimerum multis undique plagis perfodiunt [3]; reminiscentesque qualia illis probra objecerit, et frequenti eos naevo foedaverit, et quod plurimos ex ipsis ad fidem Christi adtractos, et, aquâ salutaris fontis infusâ manu propria submersos abluerit [4], quum adhuc seminecis, ante il-

saeculo structam credere necesse est: quippe quae saeculo V. exeunte jam vetustate fatiscebat. Quare s. Laurentius Mediolani Episcopus circa annum 495. eam nova luce et decentiore forma donavit: uti ex s. Ennodii Epigr. LX. constat

In Basilica s. Calemeri
quando reparata est.


Libera captivum meruerunt culmina lumen,
Arridet facies nubila nulla gerens.
Hic nuper astrigeri dos proxima venit olympi
Laurenti Vatis ducta ministerio.
Ædibus et vitae, cujus nunc una figura est,
Ceu solis radiis, forma, color similis.
Euge vetustorum reparator, perge novorum
Conditor, et vultu clarus et ingenio.
Abjurant priscam, te Praesule, tecta senectam,
Advena casuris porrigitur genius.

1 *Cum consueto donario et thure.* Murat. *cum consuetudinario thure.* MSS. Ambros. *cum consueto donario ture.* Ego supplevi *et.* Donaria autem appellari solebant dona quae diis offerebantur in templis. Aurelius Victor *de Caesaribus* c. 35. *Fanum Soli* (Appollini) *magnificum constituit, donariis ornans opulentis.*

2 *Dumtaxat:* hoc loco significat *hactenus;* quo in sensu usurpatum est et a Cicerone in Bruto, 82. *hoc recte dumtaxat; andò bene fin qui.*

3 *Perfodiunt.* Pugio ille quo confossus fuit Calimerus adhuc servatur inter sacras Basilicae Calimerianae Reliquias. Credere licet illum primitus cum corpore sancti Martyris reconditum, postea in lucem una cum corpore eductum. Martyrii instrumenta in loculis cum ossibus martyrum frequenter Romae in Catacumbis reperiuntur. De hoc Pugione extat memoria antiqua in Nota adnexa Libro Visitationis Pastoralis s. Caroli: *Notta dele reliquie, che sono in la giesa de S.° Calimero. In prima el pugnale qual fu amazato S.° Calimero.* Calimerus autem ut martyr celeberrimus speciali semper honore apud nos habitus est: nomenque illius in Canone Missae inter Apostolos et Martyres praeclaros, jam a priscis saeculis invocatum est.

4 *Aquâ infusâ manu propria submersos abluerit.* Antiquus baptismi ritus hic erat: episcopus totum baptizandorum corpus aquâ submergebat et abluebat, idque tribus vicibus. Ea de re legendus est s. Ambrosius *de Sacramentis* L. 2. et L. 3. Hunc ritum immersionis, ejusque triplicis, Ecclesia Ambrosiana adhuc servat in baptismate infantum. At vero Auctor inquit: *Aquâ infusâ, submersos.* Quid est haec *aqua infusa?* Fortasse pleonasmus: fuit tamen alicubi mos immergendi baptizandos simulque superfundendi in caput eorum aquam, amphorae vel scyphi medio: Graeci vero etiam in praesens post trinam immersionem, aquam in caput baptizati superfundunt. Forsan hic mos figuratur in pallio argenteo saec. IX, confecto, quod in parte postica altaris s. Ambrosii repraesentat hujus fastos, baptismum autem hoc modo:



Legitur: VBI A CATHOLICO BAPTIZATVR EPISCOPO; Episcopus igitur ritum baptisma-

lorum pedes jacens, spirare extremum moriturus halitum cerneretur, in adjacentis putei [1] profundum, inversis immersum pedibus, transcapitaverunt; clamantes pariter, ac dicentes: *Nos te melius abluemus fontanis aquis quam tu nostros, quos incantationibus tuis amentes efficiens, aquis turbidis abluisse probaris.*

Hic Beati Kalimeri cursus in stadio hujus vitae, hoc certamen fuit; quod ad laudem, et gloriam coelestis Regis, per annorum circiter LIII curricula [2] indefessus palaestrites, Christo auspice, peregit. Quibus perniciter evolutis, superni palatii aulam scandit, cum reliquis commilitonibus, atque coaevis potiturus bravio vitae perennis. Dies passionis ejus pridie Kalendarum Augusti [3]. Fuit autem

lem perfecit mergendo caput et totum corpus Ambrosii in aqua: minister autem vel presbyter effictus est superfundens aquam ad complementum. Quidquid sit Ecclesia Ambrosiana ordinarie baptizavit et baptizat per solam trinam immersionem.

1 *In putei.* Hic puteus adhuc exstat in subterraneo sacello: cui prope visitur lapis cum epigraphe, a tempore, ut eruditi judicant, beati Thomae Archiepiscopi Mediolanensis saec. VIII. adpositus. Supplevi verba quae, fracto marmore, deficiunt.

† ♀ ♀ †

✠ **QUAMVIS ÆTHERIA REGNIT IN ARCE SACERDOS**
CONGRUUM EST SANCTIS REDDERE VOTA PIIS
HÍC QUONDAM SUBMERSUS CORPORE CONDITUS IACIT
HIC **RESERAT POLUM, REVOCAT IPSE DEUM**
*NAM REDDIT V*__ENERANDE TIBI THOMAS AEGRE__ *SALVTEM:*
ET DAT **EXPLENDO OPERE LU**_MEN ADHUC_
DONAT ET **CUNCTIS NIVEO**_S_ **VID**_ERE COLORES_
COECIS EX ISTO QVI BIBERINT PVTEO.

In Visitatione s. Caroli anni 1567. de hoc Puteo sic legitur. *Adest in ipso scurolo puteus qui dicitur ille in quem projectus fuit ipse s. Calimerus tempore sui martyrii: cujus aqua a devotis populis sumitur, et abluuntur oculi cum devotione, pro sanitate vel recuperanda vel conservanda.*

2 *Per annor. circ. LIII.* Hunc annorum numerum confirmant Catalogi veteres.

3 *Dies passionis ejus prid. Kal. Augusti.* Dies passionis idem qui et Depositionis. Nam Catalogus quidem Ambros. sic se habet: *Kalimerus sedit annos LIII. Deposit. prīd. Kāl. Aug.* Catalogus autem Landulphinus Metropolit. *Calimerus episcopus sedit annos LIII. obiit pridie Kal. Augusti.* De loco sepulturae Auctor nihil dicit, fortasse quia in omnium notitia esset: nempe Calimerum depositum esse in Ecclesia sua. Ita enim notat Catalogus Metropolit. Beroldi: *Scs Kalimerus sedit ann. LIII. depōs prid. Kl. Aug. in Ecca sua.* De hac Ecclesia vide retro pag. 52. notam 5. S. Thomas autem archiepiscopus Mediolani sub Carolo Magno, circa ann. 770., altare aureum super corpus sancti Calimeri posuit, signum grati animi pro salute, Calimeri ope, recuperata: quod Gratiolius censet sublatam a militibus Teutonicis in direptione Friderici Ænobarbi. Circa annum vero 1450, Duce Mediolani Francisco Sfortia, ut refert Donatus Bossus cooevus, corpus s. Calimeri inventum fuit in quadam crypta in Confessione, et sub altari ejusdem Confessiones reconditum. Iterum in lucem eductum fuit a Card. Archiep. Friderico Borromaeo an-

temporibus Hadriani, Antonini, item Antonini, et Commodi [1]. Cessavit Episcopatus [2] anno, et medio.

Caput XVI.

S. Monas superno indicio Episcopus eligitur.

Sancto Kalimero de hujus mundi inevitabili stadio ad coelestis Regis obsequium destinato, quis ei successor eligi debeat, vel quis sanctissimi viri meritis adaequari valeat, solicite perquirunt. Postremo cunctus pariter clerus videlicet ac populus, in Portiana Ecclesia coadunatus, instantissime coeli supplicat Dominatorem, ut suae familiae votis clementissimus bonorum largitor occurrat illico, et patronum coelitus ex Sacerdotali, seu Levitico gradu unum suae plebi opportunum, inter reliquos decentissimum, et suis aspectibus dignissimum pro sua pietate designet.

Erat eo tempore vir admirabilis, Monas [3] nomine, summae sanctitatis, patientiae quoque insuperabilis, pudicitiae vero inviolabilis: unus eorum, qui Diaconorum in praefata Ecclesia fungebatur officio. Altior equidem cunctis fere in clero stirpis origine, sed non inferior cordis humilitate, praestantior apud homines consularibus fascibus [4], sed longe excellentior apud Deum leviticis functionibus.

Hunc benedictae recordationis Sanctus Kalimerus ab ipsis poene cunabulis sublatum ecclesiasticae disciplinae studiis informaverat. Ubi namque in absolutos loquendi modos balbutientis pueruli lingua prorupit, confestim a devotissimis progenitoribus, sacris delegatus est altaribus [5]. Moxque tenella infantis ora Davidicis imbuta

no 1609. in VII. Conc. Provinc. et sub eodem altari repositum. Tertio demum anno 1815. Carolo Sozzio Vicario Generali Capitulari recognitum, et in eodem loco repositum, excepto capite, et dente ad publicam expositionem reservatis. Vide Rudoni, *Memoria sullo scoprimento del s. Corpo di s. Calimero*. 1815. *Mil.*

1 *Fuit temporibus Hadr. Antonini, item Antonini et Commodi.* Prior ex Antoninis fuit Antoninus Pius, alter vero Antoninus ille communius appellatus Marcus Aurelius, cognomento Philosophus: cujus tituli erant MARCVS AVRELIVS VERVS ANTONINVS: saepe tamen tantum MARCVS ANTONINVS.

2 *Cessavit episcopatus.* Nota phrases antiquitatis ecclesiasticae: *Dies passionis prid. Kal. — Fuit temporibus Hadriani — Cessavit episcopatus anno et medio.* Istiusmodi phrases non auctoris sunt sed ax antiquis Diptycis et Catalogis Episcoporum sumptae sunt; uti videre est in Pontificali Damasi etc.

3 *Monas.* Hoc nomen etsi videatur origine graecum, tamen latinitate gaudet, et apud Latinos comune fuit: ita et MONIVS, et MONANILLA, et MONIANVS reperiuntur in epigraphis latinis.

4 *Consularibus fascibus.* Monas quidem consul non fuit, sed ex gente consularibus fascibus clara ortum habuisse credi potest. Si verum est quod nonnulli tradidere, Monam ex gente Burra prognatum; conjcere licet ipsum pertinuisse ad illum Antistium Burrum, maritum sororis Commodi Imperatoris, qui Burrus consul fuit anno 181. De eo Fabrettus *Inscript. Domest.* pag. 340. epigraphem refert.

DEDIC · KAL · IVNII
IMP · M · AVRELIO · COMMODO
ANTONINO AVG. III.
L. ANTISTIO BVRRO COS.

Cognomina quidem usque ad extrema Imperii Rom. tempora perduraverunt.

5 *Puerul. a progenitorib. sacris delegatus est altaribus.* S. Gaudentius sequenti saeculo IV.

canticis, divinis perpetim laudibus dedicantur; dignissime scilicet, ut lingua sacras promulgatura leges, sacro primum cantui manciparetur. Ibidem igitur sanctissimi viri studiis institutus, et deambulando, ut dictum est, de virtute in virtutem, ad Diaconatus fastigium, Deo favente, perductus est.

Erat videre in eo magnum juvenili sub pectore virtutum omnium incrementum. Caritatis namque gratiam si perpenderes, nil simile uspiam fore diceres. At vero si humilitatis, ac patientiae substinentiam perspiceres, omnibus inferiorem ac viliorem putares. Rursum si prudentiae acumen, et animi ejus industriam considerares, cunctorum philosophorum superatam ab ipso scientiam fatereris. Itemque si mitem ac simplicem cerneres, nullum simpliciorem illo ac mitiorem morari uspiam affirmares. Qui mox ut paternarum facultatum hereditario juri succedens, potestative uti praediis visus est; ex majori parte venditis, et ipsorum in pauperes pretiis optime profligatis, reliqua suae Matri, cujus etiam excubitor erat, donavit Ecclesiae, ut eorum sumptus confratrum usibus, et suis necessitatibus communis existeret. Ipse autem nec diaconio sponte umquam frui, nec minimis cujuslibet muniis potiri voluit.

Hunc itaque tunc temporis inter ceteros totis precibus interpellantem, et cordis gemitibus in interiori homine, quo divina electio prospicit, lacrymabiliter Praesulis ac Pastoris proprii absentiam suspirantem, Christus Jesus suâ censurâ dignum pontificalibus infulis [1] patere cunctis fecit in Ecclesia constitutis. Nempe finitis, quos non voce, sed mente, unusquisque fidelium apud se diu profuderat, precatibus, canticisque psalmorum, quae more solito, priusquam immaculati Agni corpore litaretur et sanguine, decantarant; dum Fidelium coetibus eadem sanctificata porrigeret [2], subito fertur aureo quodam, et inopi-

Episcopus Brixiensis in Serm. 8. de Lect. Evangelii. *Parentes vel consanguinei quique virginum, tam puerorum quam etiam puellarum... imperare quidem perpetuam continentiam non possunt, quia res esse noscitur voluntatis: sed voluntatem tamen in melius nutrire possunt, et debitores sunt ut moneant, ut hortentur, ut foveant, ut pignora sua Deo magis gestiant obligare quam saeculo, ut de propinquis seminis sui vel in cleri ordine dignos altari divino ministros exhibeant, vel in sanctarum numero feminarum puellas castimoniae dicatas enutriant; ut Ecclesiam Dei talibus nutrimentis ornantes, beatitudinem debitam consequantur. Scriptum est enim.* Beatus qui habet semen in Sion; et domesticos in Jerusalem. *Isaiae* c. 31. secundum LXX. De hac praxi consule Card. Bonam L. 2. Rer. Liturg. c. 7. n. 6.

1 *Pontificalib. infulis.* Ne putes hic sermonem injci de mitra episcopali, quae saeculo solum septimo vel octavo in usum venit. Infulae hic metaphorice sumuntur pro ipsa dignitate, uti *infulae honorum, infulae imperiales;* qua de re vide Lexica.

2 *Sanctificata porrigeret.* Apud ss. Patres *sanctificare mysteria, sanctificare panem et vinum* significabat consecrare, et transubstantiare panem et vinum in corpus et sanguinem Christi. S. Maximus *in Collat.* edit. Sirmundi: *post sanctificationem panis exaltat eum, dicens: Sancta sanctis.* Item Concilium Aquisgranense cap. 7. *sicut in Sacerdote consecratio, ita in Ministro dispensatio Sacramenti est. Ille oblata sanctificat; hic sanctificata dispensat.*

nato nitore circumfusus, et velut [1] nubis obumbraculo ita repentino splendore vallatus. Tum vero stupefacti quibus videre hujuscemodi miraculum contigit, sanctum Monam in ecstasi raptum alterutris innuunt, ac nube cava speculantur amictum [2]. Quid multa? Fit tamdem ingens videntium concursus, atque una conclamantium: *Dignus honore Monas.* At ille pavefactus ad clamorem eorum, et quod erga se ageretur ignorans, attonitis paulisper arrectisque auribus astitit [3], cunctis hinc inde modeste acclamantibus, et id ipsum cum gravitate congeminantibus: *Dignus honore Monas* [4]. Ac velut aequoreo jactis in gurgite retibus, piscandi quidem arte periti sed ignari captionis incertae, pavidos continent ad gaudia sensus, donec in superficie positi certis cognoscant auspicia signis; quae ubi evidenter animadverterint, conclamant trepidi, et glomeratis in unum naviculis delphinos ingentes, vel quicquid illud est marinarum copiarum immanes cum sagena praedas, recollectis rudentibus, ad litus pertrahunt; qua in litus exposita, jam non timidi, sed jucundi admodum tollunt confusi jubilum in commune clamoris, cujus ad coelum echo consonum litora curva reciprocant: haud aliter praemonstrato coelitus, quod anxie peroptaverat, futuri Antistitis indicio, plebs gratulabunda fidelis immenso plaudit tripudio; imo Pastoris inventi, et velut quadam sagena orationis intentae vinculis capti, affectu nequit ullatenus exsatiari; sed donec ad sacrosanctae benedictionis protrahat apicem [5], domum nec ad horam discedere cupit.

Tum vero ubi persensit quid intenderent cuncti, quidve acclamarent attoniti, reluctari nimium nimiumque, et intimo pectore alta trahens suspiria,

1 *Fertur circumfusus aureo quodam nitore.* Simili mirabili modo contigit anno 236. s. Fabiani PP. electio, *Nam*, ut refert Eusebius Hist. Eccl. l. VI. c. 29. *cum omnes fratres ad eligendum Pontificem in ecclesia convenissent... columbam repente e sublimi delapsam, Fabiani capiti insedisse memorant. Quo spectaculo permotus populus, ac divino spiritu incitatus, summa cum alacritate, uno consensu simul omnis exclamare coepit, dignum esse*, etc. Quod in electione s. Ambrosii divinitus contigit, nemo est qui nesciat.

2 *Amictum.* Ex Virgilii Æneid. 1. v. 516.

3 *Arrect. aurib.* Ex Virgilii Æneid. 2. v. 393.

4 *Dignus honore.* Euseb. loco cit. ἄξιον ἐπιβοῆσαι. Fuit haec, notat Valesius, solemnis acclamatio in electionibus Episcoporum. Ita apud Augustinum in Actis designationis Eradii eaedem acclamationes leguntur: « *Dignus et justus est:* dictum est vicies — *Bene meritus; bene dignus:* dictum est quinquies. »

5 *Benedictionis apicem:* scilc. ordinationis episcopalis culmen. Vide notam 1. pag. 33. Monae electio et ordinatio contigit anno et dimidio post obitum s. Calimeri; itaque initio anni 192., anno autem XIII. imperii Commodi: an. VIII pontif. s. Victoris: conss. Commodo Aug. VII, et Pertinace II. Initio pontificatus sui Monas incidit in tres principes natione Mediolanenses, scilc. Imperat. optimum HELVIVM PERTINACEM natum in agro Montisferrati in hac mediolanensi provincia: Capitolin. in *Pertinace;* Imperat. DIDIVM IVLIANVM mediolanensem natalibus et stirpe nobilissima: Spartianus in *Jul.* et Dio L. 73.; Imperat. SEPTIMIVM GETAM Imp. Septimii Severi ex Julia Augusta filium *natum Mediolani Severo et Vitellio Coss. VI. Kal. Jun.:* Spartianus in *Geta.* Itaque nostra urbs et principum cognationibus et splendidis aedificiis et quod maximi interest, Episcoporum strenua virtute quotidie magis enitebat.

immeritum sese atque inofficiosum obstinatissime profiteri. Enimvero id eis facilius persuaderi non poterat, quippe qui strenue gratiam viri ab ineunte aetate fructificantem optime nossent, praesertim quum, signo divinitus propalato, eum indubitata fide episcopalis cathedrae dignissimum didicissent. Quid ergo faceret? quo se verteret? Coepit pavidus aestuare; tandem in se reversus, fraternisque inflexus precatibus, ut suam ipsorum necessitatibus officinam, ad cuncta dapsilis [1] non negaret, ipsam quoque annuentis Domini circa se bonitatem evidenti miraculo declaratam solicite perpensaret, postremo non suis, sed proximorum utilitatibus, Christi Jesu magisterio informatus consulere deberet: diu multumque ingemiscens permisit fieri, quod Dei arbitrio credidit adoriri.

Caput XVII.

Parochiarum Ruralium prima Institutio: fervor spiritualis Ecclesiae Mediolanensis.

Ordinatus igitur sparsam hac illac persequutionis instantis tempestate Christicolarum plebiculam aggregans illico, et dulcibus cibis fessas amoenus Pastor oves recreans, ad ovile proprium revocavit; cunctosque in tribus Ecclesiarum Ordinibus [2], quos fortuito casu vorax meridiani solis aestus [3] absumpserat, subrogavit, propriis quibusque officiis delegatos.

Exinde circumquaque positos pagos, oppida, castellaque peragrans, maximas idolatrium praedas Sponsae Christi, ac Reginae reportabat Ecclesiae [4]. Et jam non tam Mediolanensi-

1 *Dapsilis.* Largus, abundans. Vox frequentis usus apud Plautum: in Aulul. *dotes dapsiles;* in Pseud., *corollas dare dapsiles.* Svetonius in Vespas. c. 19. *Convivabatur assidue, et saepius recte et dapsile ut macellarios adjuvaret.*

2 *In tribus Ecclesiarum ordinibus;* scilc. trium Basilicarum Philippi, Portii, Faustae.

3 *Solis aestus.* Scilc. persecutionis. Ita in Cantic. c. 1. *Nolite me considerare quod fusca sim; quia decoloravit me sol* persecutionis.

4 *Idolatrium praedas Reginae Ecclesiae reportabat.* Praeter idola caeteris gentibus et locis communia, his Commodi Imper. temporibus Mediolani et in hac provincia novus Isidis, deae aegyptiacae, cultus multum viguisse videtur. Commodus enim, ut referunt Lampridius et Spartanus, *sacra Isidis coluit ut et caput raderet et Anubin* (caput canis, *semideum canem* a Lucano appellatum) *portaret;* cumque Imperator his sacris addictissimus esset, brevi et subditi exemplum secuti sunt, adeo ut christianus, qui fuerat consul, referente Tertulliano in *Carm. ad Senator.*, misere lapsus, inter sacerdotes Isidis professus sit. Hujus cultus apud majores nostros paganos, testimonio sunt tot epigraphae repertae Taurini, Ticini, Brixiae, Patavii, Mediolani, appositae ISIDI MAGNÆ, ISIDI MATRI, praecipue autem ISIDI REGINÆ, *Grut.* 83.: Pighius autem gemmam Isidi sacram refert cum lemmate, REGINA ADIVVA ME. Mediolani constructam Isidi aedem sive templum testatur apud Alciatum inscriptio

ISIDI · M · QVRT.
AEDEM

Item Serapis, alter aegyptiacus deus, hoc tempore inter deos romanos invectus, etiam Mediolani cultum accepit: Gratiol. *de Ædificiis Mediol.* Itaque Tertull. in Libro I. c. X. ad Nationes, objcit ethnicis hanc religionum novitatem: item Arnobius L. 2. *Vos aegyptiaca numina, quibus Serapis atque Isis est nomen, non post Pisonem et Gabinium Coss.* (qui illa legibus prohibuerunt) *in numerum vestrorum retulistis deorum?* Pariter s. Ambrosius Epistola LVIII. ad

bus Civibus, sed universis etiam Pastor is operam dabat Liguribus, praedicando sedule, et evangelicam sementem indifferenter largus foenerator omnibus commodando; baptizando passim quoscumque suaserat; et Christi populum censor illustrissimus recensendo; profana demum toto conanime destruendo, et Christi sacraria dedicando; adeo ut non parva multitudo vicanorum [1], oppidanorum, seu agricolarum, Christi per eum signaculo [2] insigniretur.

Quorum aliquanti collatis praesidiis, ac necessariis sumptibus subministratis, sanctum Monam, ut Paroechias institueret, postulabant. Tum ille altiore consilio Fidei Christianae profuturum intelligens, assensit; ac distributis Magistris, promulgatisque Ministris, Fidelium votis optime satisfecit [3].

Sabinum. Vere quidem in ethnicis lucem evangelii adhuc aversantibus, implebatur illud Apocalypsis: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc;* nova enim de die in diem religionum monstra amplectebantur.

[1] *Vicanorum.* Ita MSS. Ambros.: alii *vicinorum.*

[2] *Signaculo.* Scilc. Baptismi et Confirmationis.

[3] *Ut Paroechias institueret ... satisfecit.* Murat. *parochias:* MSS. Ambr. *paroechias* quae lectio conformior origini graecae *παροικία,* quae significat *domos coadunatas,* homines vicinos — De hac s. Monae institutione et de numero parochiarum intra urbem nonnulli historici nostrates absurda commenti sunt, transferentes mores saeculi XIII. aut XIV, ad saeculum III.

Jam vero I. Auctor non loquitur de parochiis intra urbem sed extra urbem institutis. Ait enim Monam peragrasse oppida et castella circum adjacentia et ad fidem adduxisse *multitudinem vicanorum, oppidanorum, seu agricolarum, quorum aliquanti collatis praesidiis ut parochias institueret, postulabant.* Res igitur extra urbis moenia agitur: agitur de agricolis *vicos* et *oppida,* sive, ut supra, *pagos, oppida, et castella* incolentibus: *quorum* (agricolarum) *aliquanti postulant ut parochias* penes ipsos rure *instituat.* Equidem in urbibus sive orientis sive occidentis ante saeculum X. nullas fuisse parochias praeter quam Romae et Alexandriae, non minus evidenter quam erudite demonstravit Marius Lupus Canonicus Bergomensis Opere *De Parochiis ante ann. Christi millesimum,* Bergomi 1788.; sed episcopos solos una cum presbyteris et diaconis ad nutum paratis, in una ecclesia, praedicationis et sacramentorum munere fungi solitos fuisse. Quod quidem et Mediolani solos episcopos ante saeculum X. praestitisse constat. Nam saec. IV. *quod s. Ambrosius,* referente Paulino in *vita* n. 38. *solitus erat circa baptizandos solus implere, quinque postea episcopi, tempore quo decessit, vix implebant:* saeculo VI. *Clerici Italiae* (superioris) *ad Legatos Francorum Constantinopolim proficiscentes Epistolam* (apud Labbeum) miserunt qua, praeter caetera, s. Datii episcopi metropolitani ex hac urbe a 15. annis degentis reditum petunt: *quia cum omnes pene episcopi, quos ordinare solet, mortui sint, immensa populi multitudo sine baptismo moritur:* saeculo IX. reperimus quidem Decumanos per plures ecclesias civitatis constitutos, solo tamen officio praeditos celebrandi missas, funera ducendi, et haec similia: at praedicationis, baptismi, poenitentium reconciliationis officium episcopus cum clero metropolitanae, adhuc solus peragebat. *Antichità Longob.* T. 3. *Dissert.*

II. Extra urbem parochias nonnullas, aliquali forma, saeculo III. institutas fuisse conjici potest. Eusebius enim H. Eccl. V. 17. profert Apollonium quemdam tertio saeculo dicentem de quodam haeretico: *Ecclesia, παροικία, ejus loci* (pagi scilicet) *unde oriundus erat, eum non recipit:* quam Valesius intelligit ecclesiam pagensem. S. Dionysius saec. tertio, apud *Euseb.* VII. 24. innuit *presbyteros et diaconos qui per singulos vicos fratribus praedicabant;* c. 2. *in suburbanis remotioribus conventus sacros fieri.* S. Epiphanius *Haeresi* 66. Manetem, Manichaeorum auctorem, asserit *a populo lapidibus impetitum, Doridem pagum sese contulisse ad Tryphonem loci illius presbyterum.* Quoad Ecclesiam nostram Mediolanensem saeculo IV. s. Ambrosius *De Offic. Ministror.* L. 1. c. 50. loquens de con-

Et tam ipsorum instantiâ, quam ejus propensiori curâ passim singulorum quorumque non modo nobilium, sed et mediocrium, lixarumque [1], et proscriptorum numerositatem ad christianam libertatem, atque ingenuitatem [2] admittere non cessabat. Quotidiana idolatriae damna, et Dei Ecclesiae, quae per orbem totum diffusa erat ingentia fiebant emolumenta quotidie; crescebatque haec in dies [3], et illa nihilo minus annullabatur[4]. Omnis namque labor tunc et studium Dei Sacerdotibus ac Magistris Ecclesiae inerat, ut quantopere satagerent a daemoniacae servitutis jugo gravissimo hominum genus eruere, et Christi suavissimo levissimoque perpetim felicia colla submittere. Non emere, aut vendere prompti, more illo pri-

tinentia Ministrorum ait: *Quod eò non praeterii quia in plerisque abditioribus locis cum ministerium gererent vel etiam sacerdotium, filios susceperunt.* His *abditioribus locis* ubi diaconi vel sacerdotes officio suo funguntur, intelligi possunt parochiae rure positae et ab urbe valde dissitae. Parochiae enim primum etiam a diacono regebantur, uti constat de parochia Modoetiae quae anno 768.: *custodem, praesulem atque seniorem* habuit Garoinum *diaconum reverentissimum.* Caeterum antiqui parochi officia et jura valde circumscripta habebant, et ad beneplacitum Episcopi moveri loco poterant. Consulendum Opus eruditissimum Aloysii Nardi *Dei Parrochi.* Pesaro 1829.

III. Vocabulo *paroechia* vel *parochia* antiquitus vere et proprie significatae sunt ipsae dioeceses, sive districtus rurales episcoporum; uti videre est passim apud historicos et lexicographos et praecipue apud Nardium citatum: quae quidem significatio apud nos vigebat adhuc sec. IX. Nam Archiepisc. Engelbertus in diplomate anni 835. scribebat: *cum gererem sollicitudinem de meae Parochiae Monasteriis,* scilc. dioeceseos. Quidni igitur Auctor intellexerit de dioecesibus Metropoli Mediolanensi subjectis, quas Monas erexerit? Porro ait: *Monas peragrans oppida, castellaque;* qua voce etiam urbes intelliguntur: *universis Liguribus Pastor operam dabat,* scilc. etiam aliis provinciis in Liguria constitutis et aliis circa urbibus: *distribuit Magistros;* hoc vocabulo *Magistri* Auctor passim significat Episcopos, qui per excellentiam magistri in ecclesia sunt: *paroechias* pro dioecesibus item usurpat in s. Materno dicens: *Maternus peragrans cunctas metropolitanae Sedi subditas, juxta et procul extensas Italorum Paroechias, propriis Pastoribus destitutas, praeelegit ex clero earumdem Magistros: inter quos Dertonae castro, sive urbi, Maliodorum Pastorem* (episcopum) *tribuit.* Equidem hoc tertio saeculo plures Ecclesiae episcopales erectae sunt, ut Laudensis, etc.; vel quasi episcopales, nam regebantur a presbytero et diaconis, ut de Cremonensi scribit Sanclementius *Series Episc. Cremon.,* de Bergomensi Lupus *Codex Diplom. Bergom.:* quae Ecclesiae sedem episcopalem saeculo demum quarto acceperunt. Haec mihi quidem videretur fuisse Auctoris mens, paroeciae vocabulo designasse dioeceses sedesque episcopales, nisi nimis evidenter de pagis et de agricolis locutus fuisset.

1 *Sed et lixarum:* lixae erant servi exercitus. Silius Ital.:

> . . . *pedites et inutile bello*
> *Lixarum vulgus*

Livius L. 39. c. 1. *Non lixa sequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat.* Auctor tamen infimae plebis homines generice intelligit.

2 *Ingenuitatem.* Vide notam 3. pag. 36.

3 *Crescebatque haec in dies.* Tertull. sub his tertii saeculi initiis *adv. Judaeos* c. 7. scribebat: *Hispaniarum omnes termini et Galliarum diversae nationes et Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subdita sunt; et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum... in quibus omnibus locis Christi nomen regnat... Christi regnum et nomen ubique porrigitur....*

4 *Idolatria nihilominus annullabatur.* Fatendum est tamen, Mediolani idolatriam profundas adhuc radices hoc tempore servasse: nam anno 225. qui erat trigesimus quartus episcopatus Monae, Coss. Dextro et Fusco II., permissu Decurionum mediolanensium, aram Mercurio tamquam CONSERVATORI positam fuis-

mitivae Ecclesiae inconvulse retento, quaeque habebant, communi libentissime usui exponebant. Hinc factum est, ut diversis ad hanc institutionem velut piscium generibus Dominico reti attractis, variis quoque Dei Domus abundaret eduliis. Et jam non proceres solum, ac magistri, sed ipsa quoque subjectioria ac despicabiliora plebium conventicula[1] sacrosanctis imbuta doctrinis, quasi quibusdam aspersa salibus, ignique Sancti Spiritus torrefacta, et in Ecclesiae corpus trajecta, superno palatui suavissimos sufficerent sapores. His de optimis Sanctae Matris Ecclesiae institutis, quae in tempore fuerant exorta, bonorum doctrinâ Magistrorum, sub compendio recitatis [2], ad proposita recurrat intentio.

se, constat ex epigraphe arae ipsius sub porticu sitae Ambrosianae Bibliothecae:

MERCVRIO
LVCRORVM . POTENTI
ET . CONSERVATORI . SACR.
C. . GEMELLIVS . C. . FIL.
OVF. . VALERIANVS
IIII . VIR. A. P. PRAEF. I. D
CVM . CILONIA . SECVNDA
COIVGE . ET . GEMELLIO
VALERIANO . SECVNDO . ET
VALERIA . LIBERIS . SVIS
EX . VOTO . DONVM
POSVIT . ET . DEDICAVIT
L. D. D. D.

in latere sinistro legitur data chronologica:

DEDICATA
III. I. IVNIAS
DEXTRO . II
ET . FVSCO . COS.

ubi adverte notam numeralem II. errore positam Dextro pro Fusco. Muratorius tamen *Thes. Inscript.* pag. 343. opinatur, signatum hic esse ann. 196. quo consules fuerunt Dexter II. et Priscus, cui suffectum credit Fuscum. Quomodocumque res sit, tempora s. Monae semper contingit.

Caput XVIII.

S. Monae sollicitudo pastoralis.

Sancto igitur Mona pastoralibus officiis insignito, atque optimo gregis Dominici custode in commisso fidei, repositaeque non incredulo mercedis, circumstrepentium undique luporum insidias solicite per sibi commissa ovilia praecavente, hostis humanae salutis laedendi aditum facile nancisci nequibat. Qui licet olim, percusso, ut solet, pastore, ejusdem disperserit oves; rursus tamen, alio restituto, pertinaciores ac solicitiores invenit, quam si numquam antea pervasisset. Denique quum non solum in subjectis quibusque Ecclesiae Catholicae membris, verum etiam in romana arce [3], principali dumtaxat [4] totius

1 *Ipsa quoque despicabilia plebium conventicula.* Difficilius enim fuit ad fidem adducere incolas pagorum et montium quam qui in urbibus degebant: tantaque fuit illorum pro idolis pervicacia, ut circa saeculum quartum idolatrae *pagani* caeperint appellari, quia in pagis praecipue idolorum cultus adhuc sartus tectus servabatur.

2 *S. Matris Ecclesiae institutis quae in temp. fu. exorta.* Hoc tempore excitata est quaestio de die quo Pascha celebranda esset, statutaque a s. Victore PP. dies Dominica post quartam decimam lunam Martii usque ad vigesimam primam: item constitutum a s. Callisto PP. jejunium *Quatuor Temporum* etc.: tum Poenitentium riconciliandorum canonicae regulae: demum multa de clericis et de Altaris sacrificio.

3 *In romana arce... haereticorum scabies.* Fere eodem tempore Romae convenerant hinc Cerdo, Valentinus, Marcio, Cerinthus haereticorum duces, hinc Ecclesiae lumina Polycarpus, Justinus, Origenes, Tertullianus.

4 *Dumtaxat:* certe, utique. Vide notam 4. pag. 42.

corporis parte, haereticorum perniciosa scabies ebullire coepisset, et cessante ad tempus procella persequutionis, malorum, ac putrium membrorum lethalis aura multos tabo inficiens, ipsius veternosi ac lubrici draconis horrendo incitata flatu spiravisset, in ea, de qua sermo est, Matris Ecclesiae compage praefati sanctissimi Pastoris vigilantia, et boni medici industria, Christo opitulante, obtinuit, ut nemo, de sibi subjectis laederetur, aut si forte quis in aliquo laesus, nemo periclitaretur. Erat namque inter fratres humilis, inter persequutores elatus, suis mitis, adversariis terribilis, Christo subjectus, Diabolo erectus.

Jam tum Valentinus, et Cerdo [1], Ebyon, atque Cerinthus, et alii complures veritatis inimici, diversis in locis, zizaniorum dolo, pura verbi Dei semina macularant, et areas Dominicas adulterini lollii admixtione foedarant. Sed vir Dei Monas cum coaevis, atque confratribus suae Metropolis gremio constitutis [2], more vigilantis agricolae, excutere ac proturbare de suorum collegio manipulorum mala semina procurabat. Imo ut pastor eximius, insidiatores gregis Christi clamoribus simul atque insectationibus anticipans, longius effugabat, commonens et instruens suos sequaces, cum hujusmodi nullam habere communionem. Quinimo sicubi aliquos forte ipsorum obvios habuisset, digna invectione refellere, et cominus perurguendo prosternere. Pro quibus tamen ut clementissimi pedissequa Magistri, generales cunctorum Fidelium fieri debere supplicationes [3], sedule commonebat.

Caput XIX.

Philippi Imper. ad fidem christianam conversio: longaevitas Episcoporum Mediolanensium.

Nec solum pro his, sed et pro Romani orbis Principibus, quos malesueta, daemonum potius quam deorum

[1] *Valentinus et Cerdo*... S. Ambrosius etiam de mediolanensi Ecclesia loquebatur cum in Hexaemero l. 1. c. 8. dicebat: *Quomodo malo initium a Domino damus? Sed haec opinio feralis eorum qui perturbandam Ecclesiam putaverunt. Hinc Marciones, hinc Valentini, hinc pestes illae Manichaeorum funesta sanctorum* (sic Fidelium) *mentibus tentaverunt inferre contagia.*

[2] *Cum coevis atque confratr. excutere.* Concilia provincialium episcoporum videtur auctor innuere a Mona convocata. Ex Libello enim Synodico constat hoc tempore plura contra haereticos coacta fuisse Concilia: *Lugdunense* contra Marcionem: aliud *Confessorum Galliae* contra Montanum et Maximillam: *Romanum* a s. Victore contra Valentinum: aliud *Romanum* ab eodem contra Ebionem et Theodotum, etc. Non est dubitandum quin et Monas tantae sedis episcopus contra haereticorum diluviem Conciliorum obices opposuerit: verum nostris de rebus omnis notitia disperiit. Scimus tamen purum semper et immaculatum Ecclesiam Mediolanensem fidei depositum servasse, idque contra omnes haereticorum et principum adversos conatus. Quare merito a s. Basilio sequenti saeculo, Epistolâ 197. ad s. Ambrosium recens electum episcopum dicta est: *Ecclesia magna et ob fidem in Deum celeberrima.* μεγαλη και περιβοήτος ἐπὶ τῇ ἐις Θεόν πιστει.

[3] *Pro quibus* (haereticis) *generales supplicationes fieri.* Ecclesia Ambrosiana e vetustis-

servitus miserabiliores quibuscumque lixis, inhonestis famulatibus subjugatos, et peccatorum nexibus alligatos effecerat. Multa siquidem se detineri molestia, cur tanto carerent gratiae munere qui totius pene orbis muneribus decorati [1], cunctarumque rerum domini putarentur, palam cunctis voce libera fatebatur. Illud jugibus votis, illudque se nocte dieque precari, ut uni saltem ex omnibus Augustae dignitatis Principibus, Dei veri ac vivi concessa fidelitate per Dominatorem omnium; (quod spe certa, fide integerrima expectaret ac crederet), universorum in hoc facto laetificarentur corda Fidelium, confusâ, velut decet, coecâ superstitione infidelium. Hinc evenit, ut secundum quod Psalmigraphus vates de Deo nostro ait, *voluntatem timentis se faceret, et orationes servi sui exaudiret* Omnipotens.

Nempe, ut ferunt, qui illud paterna nosse traditione potuerunt, octogenarius ferme eo erat tempore, quo Philippus christianissimus Imperator primus ex Augustis Christi jugo [2] sua colla submittere, et crucis trophaeum [3] Romani Imperii decrevit fore munimentum. Sed si quis mirum ducat, aut credibile putandum dissuadeat, quinque tantum ad ea usque tempora Mediolanensi Ecclesiae Antistites praefuisse, quum in Romana Sede

simis temporibus in Parasceve sive Feria VI. ante Pascha solemniter supplicat pro *haereticis et schismaticis* — *pedissequa* pro *pedissequus*.

[1] *Tanto carerent gratiae dono, qui totius orbis munerib. decorati.* Haec sumpta videntur ex Actis s. Pontii Mart. qui Philippum Imperat. ad fidem adduxisse traditur. Ibi enim Pontius legitur dixisse Imperatori: *Cum a Deo vobis collatum sit augustum in homines Imperium; cur non eum potius adoratis a quo tanto aucti estis beneficio?*

[2] *Orationes servi sui exaudiret Omnipotens... Philippus primus ex Augustis Christi jugo...* Philippum christianum fuisse, privatim tamen, multi auctores iique probatissimi confirmant, nempe Eusebius in chronico: *Philippus primus omnium ex Romanis Imperatoribus christianus fuit:* item in Hist. Eccl. l. VI. c. 27.: tum Hieronymus Libro de Viris Illustribus in *Origene:* tum Vincentius Lirinensis Commonit. adv. haeres. 23.; demum Orosius sua in Historia s. Augustino dicata Lib. VII. c. 20. Jam vero quaeritur qua ratione Auctor noster Philippi conversionem s. Monae precibus asserere non dubitaverit? Causam hujus assertionis internoscere in Actis s. Pontii Martyris ego mihi videor. Pontius civis romanus a Philippo Augusto praefectura urbis auctus et familiariter ita habitus est, ut potuerit christianam doctrinam illi aperire et insinuare, et ad fidem atque baptismum, Fabiani Pontificis manu, perducere. Credibile est Pontium, quô feliciter ei tantae conversionis res cederet, se precibus commendasse sanctorum Episcoporum, et praecipue Mediolanensis qui et stirpis nobilitate, et sedis gradu et sanctitatis fama Romanis notus esse debebat. Credibile est etiam, Monam personâ notum fuisse Pontio; quippe qui ad oram Ligusticam praedia aut villam habuisse videtur, ubi demum Imp. Gallieni persecutionem fugiens se receperat. Acta Pontii a Bollandianis quoad substantiam sincera asseruntur ad diem 14. Maii. Caeterum Auctor exauditas quidem narrat preces s. Monae, non tamen caeterorum exclusit.

[3] *Crucis trophaeum, Rom. Imperii munimentum.* Hic sensus s. Ambrosii Orat. De obitu Theodosii: *sapienter Helena crucem in capite Regum collocavit... Bonus clavus romani imperii qui totum regit orbem: recte in capite clavus, ut ubi sensus est, ibi sit praesidium.* Philippus tamen publice religionem christianam non est professus: nam eam laudem Constantino inter romanos principes primo omnes Patres tribuunt. S. Ambrosius praecipue hac eadem Orat. dicens: *Constantinus quod primus Imperatorum credidit, et post se haereditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.*

vigesimus post Apostolos tunc temporis degeret vir Deo fidelissimus Papa, et Martyr Fabianus, perpenset quicumque ille est, occultum et investigabile dispensantis Dei judicium cur istis prolixiora vitae curricula [1] contulerit, illis vero breviora. Istos ad suorum profectum Fidelium, licet inferioris gradus, diutius reservatos longo conflictu adsuescens ad triumphum, victorum agmini sociarat ad ultimum; ut emeritorum laborum senes, multis postomodum essent norma vitae, exemplarque militibus: illos autem, summos videlicet primates, ac duces spiritalis certaminis, quanto fortius in procinctu Christianae Fidei dimicantes, tanto ad coeli palatium ocius properantes, victrici laurea redimitos secum perenniter regnare concesserit. Neque enim aliter decuit praecellenti Pontificalis Cathedrae throno, quam ut vicissim continuatimque sibi succedentes Ecclesiae totius Rectores universum suis orbem monimentis replerent; e quibus et certandi audaciam, et praedicandi constantiam, triumphi quoque reportandi fiduciam ceteri sumerent Ecclesiarum principes et Magistri.

Et quum quis ad liquidum, humani lance judicii, causam tanti examinis trutinare nequiverit, exclamet necesse est cum Apostolo, et dicat: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus!* Verumtamen ut certo certius noverit, integram nos annorum seriem praesentis depromsisse pagina materiae, sciscitet veterum Scriptorum Annales diligenti indagine, eorum, qui olympiades [2] priscorum temporum, actusque Beatorum solicite descripserunt, et inveniet me non aliter quam quod in his compereram posuisse; alioqui tacere, quam falsa dicere decrevissem.

Non solum vero istiusmodi miranda superni arbitri dispensatio apud antiquos quosque, ac primae christianitatis cultores, verum etiam apud modernos pari libra frequentius acci-

[1] *Prolixiora vitae curricula.* Castricianus sedit annos 42. Calimerus 53. Monas 59. Maternus autem 52. ut videbimus. Ne cui mirus videatur uniuscujusque ex istis praesulibus annorum numerus cogitet, his difficilibus temporibus, quibus quum toti pene Liguriae pastoralis sollicitudo exhibenda esset, in Episcopis vigor non animi solum sed et corporis necessarius erat, electos fuisse praesules aetatis florentis, scilicet circiter annorum triginta, aut triginta quinque, sicut Apostolos et sicut Timotheum et Titum. Deinde vero longaevitatem his regionibus fuisse comunem, teste Plinio Hist. Natur. lib. VII. c. 50. n. 3. *Accedunt experimenta et exempla recentissimi census, quem intra quadriennium imperatores Caesares Vespasiani, pater filiusque, censores egerunt. Nec sunt omnia vasaria* (archiva) *excutienda: mediae tantum partis, inter Apenninum Padumque ponemus exempla. Centum viginti annos Parmae tres edidere, Brixelli unus CXXV., Parmae duo CXXX., Placentiae unus CXXXI., Faventiae una mulier CXXXV., Bononiae L. Terentius Marci filius, Arimini vero M. Aponius C. et L.; Tertulla CXXXVII. Circa Placentiam in collibus oppidum est Veleiacium, in quo CX. annos sex detulere, quatuor CXX., unus CXL.*

[2] *Olympiades.* Eusebii Chronicum a s. Hieronymo latine versum, in quo per olympiades chronologia digeritur, Auctor prae manibus habebat: idcirco hac voce et ipse utitur.

disse patenter agnoscitur, dum et in Romanae arcis Pontificibus brevioris vitae cursus, et vixdum ad primi Pastoris mensuram [1] pertingens decernitur: et Mediolanae Urbis Praesulibus perrari [2] adscripti sunt, quibus non usque ad grandaevitatem terminus vitae praesentis decucurrerit. Age ergo hujus, quem quinto post primum loco fuisse [3] in praefata Urbe signavi, cujus vitam moresque apostolicos succincte, sed plena veritate digessi, quis sit exitus, explicetur, ut coeptae navigationis expeditio, flante clementius austro, ad destinatas perveniat oras.


Igitur agnitâ, ut praefatus sum, christiani Augusti [4], Fidei plenissimae perceptione, Beatissimus Antistes, admodum laetus efficitur, et dans laudes immensas Deo, his, oculos lacry-

1 *Vixdum ad primi Pastoris mensuram.* Primo Pastori Petro quotam annorum mensuram Auctor assignet, non liquet; neque item utrum de mensura annorum in Sede Romana loquatur (quam, ex dictis pag. 49. nota 1., brevem fuisse innuerat) an de mensura totius praesulatus ab Ascensione Domini ad mortem Petri. Illud vero notandum maxime hoc loco est, Auctorem, dum brevem in pontificatu vitam Romanos episcopos egisse memorat, tradit aliquos ex his *ad Petri mensuram pertigisse.* Ultimo puto monendum, Lactantium, qui scribebat initio saeculi IV. virum auctoritate nulli secundum, in Libro *de Mortibus Persecutorum* cap. 2. referre, *Apostolos*, post Domini Ascensionem (quam cum Patribus vetustioribus consignat anno aerae vulg. vigesimo nono) *dispersos esse per omnem terram ad Evangelium praedicandum; et per annos XXV. usque ad principium Neroniani imperii* (coepti die 13. Octobr. anni 54.) *per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta misisse; cumque jam Nero imperasset Petrus Romam advenisse.* « Fortasse, notat Baluzius ad hunc locum, ex his *viginti quinque annis*, qui ad praedicationem omnium Apostolorum ex aequo pertinent, orta est opinio de 25. annis quos quidam veteres et innumerabile recentiorum agmen s. Petro Apostolo tribuunt in Sede Romana. » Cum Baluzio consentit Pagius in notis Baronii ad ann. 43. n. III. aliique non pauci.

2 *Mediolan. urbis Praesul. perrari.* Vide Disertat. I. cap. IV. ubi de annis quibus Episcopi nostri sederunt.

3 *Quintum post primum loco.* Id est, omisso primo nempe s. Barnaba qui non considerandus est tamquam episcopus residens, sed tamquam fundator et missionarius apostolicus, Monas in ordine episcoporum mediolanensium *quintus* est.

4 *Christiani Augusti.* Philippum Augustum fidem christianam, licet clam, professum fuisse, tradiderunt historici jam pag. 63. n. 2. citati, quibus adde et s. Joann. Chrysostomum Homil. 2. in s. Babylam, aliosque quos citat Huetius in *Origenianis* et Tillemontius *Histoire des Empereurs*, et in Notis. Equidem cum anno V. imperii ejus, compleretur *Millesimus* annus Natalis Romae seu Urbis conditae et *Saeculum Decimum*, festa omnium solemnissima facta sunt, ludique magnifici exhibiti, maxime ferarum, scilicet leonum, tigrium, cervorum: attamen, inquit Orosius, *adscensum fuisse in Capitolium, immolatasque* (a Philippo) *ex more hostias nullus auctor ostendit.* Quod si numismata hac occasione cusa praeferunt idola, et templa profana, nomenque Philippi, id *non satis refellit*, inquit Morcellus (De Stilo Inscript. sub Epigr. 418.) *argumenta eorum qui Philippos Augg. christianis imperatoribus adnumerant. Pontifices fortasse, quod jam mos erat ut omnia opera publica Principem auctorem praeferrent, Philippi Aug. nomen* (aedibus vel statuis deorum) *inscribi jusserunt: cujus rei memoria, ex veteri praescripto, nummis etiam consignata est.* Caeterum certum est, Philippum christianis valde studuisse, optimasque pro bonis moribus leges tulisse. Philippi effigiem exhibere placet ex numismate argenteo hujus plutei monetarii, cum epigraphe AEQUITAS AVGG.



mis suffusus, sermonibus infit: *O mira potentia Creatoris! O praeferenda pietas Redemptoris! Cujus nutui cuncta facultas subest, cujus velle fecisse est. Implesti Domine Jesu, quod te indubitata fide sedulus exorabam; implesti, quod te cito impleturum tuis saepissime clientulis repromittebam: implesti quod me praedicentem perfidorum vesania deridebat. Jam nunc laetus mortem opperiar; quae, ut polliceri dignatus es, vitae porta fiet sine fine mansurae eis, qui te Dominum pura mente dilexerunt et quaesierunt.* Et conversus discipulis assistentibus ait: *Laetamini* inquiens, *carissimi, et totis piae vocis Deum nostrum laudate praeconiis, quia non est oblitus orationis nostrae, sed suae clemens annuit familiae. Noveritis autem maximam in hoc facto Christiani nominis ortam inimicis invidiam* [1]; *quin etiam totius bonitatis aemulum gravibus atque atrocissimis livoris antiqui stimulis concitatum, et exsuscitatis irarum furiis illico bellum ab eo esse ciendum, iterumque cruces, clades, et dira poenarum exitia Christifidelibus atrocius solito, et supra quam credi potest, ipsius instinctu nequissimo ingerenda. Sed vos illa metuere nolite, nolite pavescere. Immensa quidem contra Dei Ecclesiam incendia, mille nocendi artes artium Magister excitaturus est; sed velocius extinguenda, ingruente desuper rore coelestis misericordiae.*

Quumque pauxillum conticuisset, perpendit astantes pro his, quae dixerat, non modice perturbatos; ac flexo in orationem (quia id loci eos stare contigerat) poplite, aliquandiu precibus incubuit, pro suorum constantia filiorum Patrem Domini Jesu interpellaturus. At hi, qui praesentes aderant, plurimum obstupuere, quod sermonis ipsius efficaciam nulla interruperit rei gestae dissonantia [2]. Ex illo [3] enim non solum venerari amplius, aut excoli a credentibus, sed etiam insuper metui ab incredulis coepit, qui eum non sine divino numine tantam praedicendi futura obtinuisse fatebantur scientiam. Nam et ob id eum Magno Deo Apolline satum astruere non dubitabant, eo quod esset totius prudentiae, excepta christianitate, perspicuus inquisitor.

Caput XX.

De obitu sancti Monae Mediolanensis Episcopi.

Erat enim vir Domini omnibus ad se convenientibus ita affabilis, ut esset mitibus simplicibusque dulcis affatu, blandus alloquio; solertioribus

[1] *Hoc facto christ. nomin. ortam invidiam.* Equidem Decius Philippi successor traditur in christianos tantum exeruisse odii eô quod Philippus propitias illis manus dedisset. Hieronymus *De Viris Illustrib.* in *Origene* ait: *Decium in religionem Philippi desaeviisse.* Orosius autem Histor. VII. 21.: *Decius continuo, in quo se etiam ob hoc Philippos interfecisse docuit, ad persequendos, interficiendosque christianos, feralia dispersit edicta.*

[2] *Sermonis nulla... rei gestae dissonantia.* Id est: quod postea vere evenerit quod sermone prophetico praedixerat.

[3] *Ex illo:* scilc. dono prophetiae.

vero solertissime disertus, atque ad opposita irrefragabiliter prudentissimus. Hoc ipsum quoque orationis loco ducens, si infirmis fratribus opem suae exhortationis tribueret. Sciebat namque, quia sicut praeceptum est, ut diligamus Dominum Deum, ita praeceptum est, ut diligamus proximum. Quae duo, quamdiu in corpore mansit, ita inconvulse retinuit, ut eamdem usque ad senectam divinis officiis vigilantiam, eamdem suorum necessitatibus fratrum ad ultimum usque momentum vitae curam impenderet. Sicque per annos circiter LIX. [1] pastorale onus pari mentis et corporis constantia sufferens, numquan a sibi commisso vacavit obsequio, foenerando videlicet auditorum mentibus credita sibi talenta, et famelicis gregibus verbi Dei pabula ministrando.

Et jam tempus aderat, de quo sapientissimus Salomon ait: *Tempus mittendi lapides, et tempus recolligendi:* tempus, inquam, erat, quo aedificium illius coelestis Hierusalem redintegrandum, vivi lapides, qui per orbem dispersi erant tetragonum recollecti viritim, et angulari lapidi reconsignati, semper mansurae Dei domui, aeternae in coelis compaginarentur, numquam amplius dispergendi. Quod vir Deo dilectus intelligens satagebat pro viribus purissimam sui cordis efficere margaritam, cupiens ocius dissolvi, et esse cum Christo. Siquidem ad annum usque Philippi septimum, qui et ultimus [2], cujus paulo ante meminisse contigit, ad multorum profectum fuerat reservatus. Convocatis ergo filiis in Christo et fratribus, indicat resolutionis suae diem appropinquasse, et ut secum orationibus comitarentur admonet. Cum quibus orans, flectensque genua, velut in soporem, ita resolutus est in mortem, vel magis in vitam, quae sola vere vita dicenda est. O ineffabilis gratia meriti! o admiranda vocatio properantis! Nam ne forte gloriosi senis anima tempestate turbaretur post paululum sequutura, solemnitatem [3] Domini, quam diu praestolata fuerat, laetanter vidit, et ingredi meruit.

Tunc universi, qui aderant, admi-

1 *Per annos circiter LIX.* Hunc numerum confirmant Catalogi omnes. Ambrosianus: *Monas sedit annos.* lviiii: item Metropolitanus: *scs Monas sedit ann. lviiii.* Landulphinus Codex, *annos XLIV.*, ast mendosus habendus.

2 *Ad annum Philippi septimum qui et ultimus.* Recentes criticae inquisitiones repererunt regnasse Philippum annos sex tantum, occisumque fuisse a Decio successore circa medium Octobrem anni 249. Verumtamen historici antiqui fere omnes, annos septem Philippo tribuunt: incompletos quidem; sed ita ut vixerit usque ad Aprilem anni 250. Ita tradiderunt Eusebius in Hist. Eccl. et in Chronico: Hieronymus in Chronico. Orosius *Historiar.* lib. VII. 20.: *Philippus mansit in regno annis septem.* Zonaras qui ad verbum sequitur Dionem nunc deperditum, *Annal.* l. XII. c. 19. Φιλιππος ἐβασίλευσε, κατα μὲν τινα, πεντε ἐνιαυτους, καθ' ἑτέρους δε ἕξ, ἐπὶ τοσούτους μῆνας: *Philippus regnavit juxta aliquem, annos quinque; juxta alios, annos sex et totidem menses.* Monas itaque obiit die 25. Martii anni 250., qui fuit Philippi ultimus juxta citatos Auctores.

3 *Solemnitatem.* Solemnitas, vel Solemnitas solemnitatum ab antiquis appellabatur per excellentiam Paschatis festum. Cum autem Monas obierit paucos dies ante Pascha, Auctor innuere

ratione maxima habiti de tam subitaneo beati Viri obitu, in extasim poene delapsi sunt. Videntes eum, cujus ante modicum spatium benedictione solita, dulcique osculo pacis, (quod indifferenter quibuscumque de Clero vel plebe libare solitus erat assidue), refocillati quodammodo, ac jucundati fuerant, inopinata vocatione sublatum ex corpore: quid mirari, quidve dolere, quid etiam gaudere deberent, anxiis pectoribus haesitabant. Tamdem aliquando in lacrymas resoluti, mixtis interdum singultibus ingemiscentes, tollunt Patroni sui funus recens, et illud Praedecessorum ejus tumulis adjungunt. Qui locus usque nunc mortalibus manet incognitus [1], pro eo maxime quod tunc ob nefandas persequutiones, Sanctorum occulte corpora sepulturae mandabant. Unde accidit, ut longe latentibus annis loca venerandae memoriae Fidelium exciderent [2], tantoque fiunt celebritati mutuae clariora, quanto non humana, sed divina fuerint indagine revelata. Obiit autem vir Domini memorandus Praesul Monas VIII. Kalendas Aprilis [3]. Fuit autem temporibus Severi, Antonini, Macrini,

videtur Monam perrexisse ad coelos hanc solemnitatem jam proximam celebraturum gaudiis melioribus, imo solemnitatem perpetuam paradisi. Pascha hoc anno 250. incidit in diem 7. Aprilis. Decii autem *secuta post paululum tempestas* sive persecutio coepit primis mensibus ejus anni 250., una cum morte s. Monae; adeo ut *occulte corpus* ejus *sepulturae mandari* necesse fuerit; ut Auctor jam dicturus est.

1 *Praedecessorum tumulis adjungunt: qui locus usque nunc manet incognitus.* Sciebat quidem Auctor locum sepulturae s. Monae, nempe Coemeterium *Praedecessorum*, sive Philippi, ubi et s. Gaius sepultus et ad aliquod tempus etiam s. Calimerus, ut ferunt, depositus: sed nesciebat locum loci, ut dicitur. Locus autem iste Auctori incognitus, Deo revelante, notus factus est sub initium saec. XI. uti constat ex mediolanensi Historico Arnulpho qui fere eodem tempore vivebat, Lib. 1. c. 20. *Arnulphus* (II.) *Archiepiscopus sacerdotaliter suam regebat Ecclesiam, clerum fovens ac populum, suisque plane vacans negotiis. Hujus beatitudinem plura ecclesiis tradita commendant beneficia. Illius tempore sancti Confessoris Monae revelatae sunt Reliquiae,* (ut pergunt MSS. aliquot) *juxta s. Naborem,* sive Basilicam Philippi. Factam tunc Translationem (fortasse ab Heriberto Arnulphi successore) ad Ecclesiam s. Vitalis, eamque IV. idus Octobris, sive die 12., constat ex antiquo saeculi XIII. Kalendario Necrologico Ecclesiae Metropolitanae s. Teclae apud Frisi (*Mem. di Monza* T. III. n. CLVIII.), ubi legitur: *IIII. idus Octobris: translatio sci mone epi.* Catalogi omnes sic habent: *Monas depositus ad sanctum Vitalem.* Translationem aliam splendidiorem peregit s. Carolus die VI. Febr. anni 1576. quando, diruta s. Vitalis Ecclesia, s. Monae ossa in cathedralem intulit, et sub altari majori reposuit.

2 *Loca memoriae Fidelium exciderent.* Vide quae adnotata sunt n. 2. pag. 44. Ita evenit de mediolanensibus martyribus Gervasio, Protasio, Nazario, Celso, item de s. Castritiano etc. qui fortassis adhuc laterent, nisi divina revelatio tumulum eorum manifestum fecisset.

3 *Obiit Monas VIII. Kalend. Apr.* Consentiunt cum hac chronologica nota omnes Catalogi, excepto Landulphino, qui signat obitum ipsis Kalendis Aprilis. Item Kalendaria antiqua Monae assignant VIII. Kalend. Aprilis seu 25. Martii unâ cum Festo Annunciationis B. V. Mariae; quae dies cum incidat aut in Quadragesimam aut in paschalia festa, idcirco s. Monae memoria celebratur die 12. Octobris quo facta est saec. XI. Reliquiarum Translatio, ut supra monui. Obiit autem Monas anno, ut dictum est, 250. Coss. Decio Aug. II. et Grato, initio anni VII. Philippi Imp., annos natus 83. vel 84. Nam cum Auctor asseruisset *octogenarium ferme* Monam quando Philippus christianus factus est, cumque hoc evenisse initio anni

Aurelii, Alexandri, Maximini [1], Gordiani, et Philippi Principis, qui, ut praefatus sum, primus ex Augustis christianum nomen suscepit, servavit, et coluit.

Caput XXI.

Ob persecutionem Decii Imper. Sedes Mediolanensis mensibus XXI. vacat.

Quo non post multum temporis velut quodam nitido Augustalium primitiarum manipulo ad coeleste horreum delato, et felici nimium dignitate de terreno et volatili ad supernum et perenne Regnum transvecto, exhorruit inimicus humani generis, tantaeque praerogativae cumulo invidit. Illico Romani agri superficiem sterili et urenti replevit urtica, qua ingravescente, spiritalium agricolarum quaquaversum incedentium exurebantur vestigia, et quieti operam dare nequaquam patiebantur.

Emersit enim post Philippum vesanus Decius, per tyrannidem Caesaris successor effectus [2], qui sui decessoris odio stimulatus toto conanime Dei domum conatus est funditus evertere. Primum nempe non quoslibet Christianorum, sed ipsos maxime ecclesiarum Praesules jussit interfici [3]. Tum deinde vario poenarum genere exosam, coelo terraque perturbare Christiani nominis religionem, deorum templa restitui, Dei ecclesias destrui, altaria sacrosancta profanari ac pollui. Putares ipsam Imperio, Dei [4] cessisse Majestatem, et suis ultra vernaculis subvenire non posse. Extemplo a paganis, Christi cultores diversissimis tormentis proteri cernentibus, insultari ubique et succlamari videres: *Ubi est Deus eorum?* Sed Deus noster in coelo sursum, in coelo, et super terram: omnipotens, non passus est diu despici a perfidis. Quinimo coelestem ubi voluit pharetram exeruit, et sui nominis inimicum non totis duobus annis [5] in male praerepto principatu exactis,

Urbis Millesimi (Christi 248. vel, juxta fastos Varronianos, 247.) probet Baronius: consequitur fuisse Monam octogenarium initio anni 248. vel 247. Cumque vixerit adhuc usque ad diem 25. Martii an. 250., complevit annos 83. vel 84.; quorum quinquaginta octo et menses tres transegit in episcopali munere, viginti quinque vel sex ante episcopatum.

1 *Severi, Antonini:* scilc. *Septimii* Severi: Antonini *Caracallae:* Macrini: Aurelii *Heliogabali:* Alexandri *Severi:* Maximini I. etc.

2 *Vesanus Decius per tyrannidem Caesaris successor effectus.* Decius perfidia et crudelitate Philippos patrem et filium oppugnavit et occidit. Quare Orosius: *Ambo Philippi Decii fraude interfecti sunt.* — *Vesanus:* Lactantius De Mortib. Persecut. c. IV. *Extitit post annos plurimos execrabile animal Decius qui vexaret Ecclesiam.*

3 *Sui decessoris odio stimulatus ... Eccles. Praesules interfici,* etc. — Euseb. VI. c. 39. *Decius prae odio adversus Philippum persecutionem intulit Ecclesiae: in qua persecutione Fabianus Romae martyrium pertulit: in Palaestina Alexander Hierosolymor. episcopus: Antiochiae Episcopus Babylas,* etc. S. Dionysius Alexandriae torquetur, etc.

4 *Dei.* Male Murat. *eius.*

5 *Non totis duobus annis.* Decius juxta recentes criticos regnavit annos duos et aliquem mensem: ast Eusebius refert duos annos non implevisse. Scribit enim: οὐδ' ὅλον δυοῖν ἐτοῖν χρόνον ἐπικρατήσαντα, *quem, cum non toto duorum annorum tempore regnasset, subito cum filiis occisum, Gallus sequitur.* Hist. Eccl. VII. 1. Eadem in chronico.

cum filiis pariter enecatum, Romano apice vitaque privavit.

Succiso [1] radicitus per divinam securim inutili frutice Decii, (qui ferina rabie, ac viperino livore turgidus innumeras sub brevi tempore inenarrabilium poenarum clades Christi cultoribus evomuerat, adeo ut extinctis maxime Pastoribus Ecclesiarum, nec dumtaxat Praesulibus et Magistris, sed dispersis quoque, secundum quod consequens fuerat, gregibus universis, heriles caulas se evacuasse ac destituisse putarit), immensas pio defensori Christo Domino laudes Fidelium ubique per orbem populus, ore licet gemebundo, profudit. Et quoniam non modo quamlibet Europae, Hesperiaeque [2] partem, sed totas mundi plagas saevae persequutionis turbo depopulari ad horam visus est, multis, ut fertur, diebus clericalis ordo, et sacerdotalis cathedrae successio cessavit [3].

Verum demto malitiae hujus incentore, quum Gallus Romani Imperii dignitatem suscepisset, quamvis et ipse insanus, attamen paulo mitius erga Christianos agens, coepere mox credentium animi consurgere, et recreari [4] quodammodo qui paulo ante per latebras occultati visi fuerant titubasse. Invisunt, si qui supererant, derelicta ovilia Pastores, et dispersas metu luporum oviculas ad suas quique caulas reducunt.

Caput XXII.

Sanctus Maternus Mediolanensis Episcopus eligitur.

Tum [5] Mediolanensis Ecclesiae clerus simul et populus, quotquot lanistarum manus evaserant, ad Philippeam recollecti Basilicam conveniunt, expurgantes idolatrium spurcitias, quae injectae fuerant, et ad coelorum Dominum suppliciter inclamantes, ut suae misereatur de cetero hereditati, ejusque perditionem non ultra dissimulet. Praeterea Pastoris, jam dudum cum Christo sociati, diutina absentia viduatam plebem graviter suspirantes, quid facto opus esset, invicem sciscitantur. Sacerdotum quidem, nemo erat hujusce honoris dignum, vel potius oneris [6] aliquem la-

1 *Succiso.* Ante hanc vocem in MSS. Ambr. est vox: *in illis diebus:* sed superius extra lineam inserta videtur. Decius occisus est ineunte Decembri anni 251., eique successit Gallus.

2 *Europae Hisperiaeque:* scilc. Europae et speciatim Italiae, quam Virgiliano more appellat Hesperiam.

3 *Multis diebus sacerdotal. cathedrae successio cessavit:* scilc. cathedrae mediolanensis; quae vacavit mensibus viginti et uno, a die 25. Martii anni 250. usque ad Gallum imperio potitum circa initium anni 252., quo tempore s. Maternus successor Monae datus est.

4 *Quum Gallus... animi recreari.* Haec brevi narrat s. Gregorius Nyss. in Vita s. Gregorii Thaumat. *Extincto Decio una cum filio, Vib. Trebon. Gallus invasit imperium, filiumque Volusianum Augustum creavit.... Primo tempore horum imperii Ecclesia Dei a persecutione quievit.... Qui detinebantur in carcere Confessores, vinculis soluti, liberi abire permissi sunt.*

5 *Tum:* Mombrit edidit *ut*, evidenter pro *tum.*

6 *Dignum vel potius oneris aliquem latorem capacem dicens.* MSS. Ambros. et Mombr. habent: *dignus vel oneris capax latorem capacem*

torem capacem dicens: quanto minus clericorum quorumvis inferioris gradus. Quem ergo eligendum, quem sibi praeponendum, cui suas preces, suaque vota committenda censerent, diligenti trutina perpensantes, diem impasti, noctesque pervigiles comitantur. Tamdem uni ex consacerdotibus, quem longaeva senectus, et meritorum gratia insigniebat, per ecstasim Sanctus nuntiat Spiritus, quem ex omnium collegio superni censura Judicis ad Sacerdotale pondus aequanimiter subvehendum, quemve in procinctu temporis aptum viribus [1], fortem animo et corpore designanter elegerat.

Erat enim per idem tempus in ordine praefatae Ecclesiae vir quidam reverentissimus doctor et Primicerius Lectorum [2], virtutem nominis dulcibus exprimens moribus, cognomento Maternus [3]. Qui omnibus Clericis ita carus erat, ut pro pietate multimoda, et benignissima caritate, quas inconvulse suomet insertas pectori, bene prodigus aliis, sibimet reservabat, universi illum nimio amore diligerent, et ipse maternum circa omnes affectum impenderet, sic eos fovens, monens, et corrigens ut filios, sic ab eis amatus, amplexatus semper, et expectatus ut mater. Hunc ergo apprehensum senex ille canitie ac meritis venerandus protrahit ad medium, et cunctis circumstantibus voce qua potuit exclamavit: *Quem expectatis? Adest ecce Pastor quem cupitis.*

dicens; Papebrochius expungenda ratus est verba *latorem capacem dicens:* Muratorius ea expunxit. Attamen levi mutatione τοῦ *capax* in *aliquem*, recte omnia quadrant. Auctor enim non asserit: *Sacerdotum nemo erat dignus vel capax;* sed *nemo* ex populo *erat dicens aliquem Sacerdotum dignum vel capacem latorem oneris.*

1 *In procinctu temporis aptum viribus.* Jam monui pag. 64. n. 1. temporibus istis non solum animi sed et corporis vires necessarias fuisse, ideoque episcopos aetate florentes electos fuisse.

2 *Primicerius Lectorum.* De voce *Primicerius* vide notam 2. sub pag. 23. *Lectoris* officium jam tertio saeculo institutum fuisse docet Epitaphium S. Latini Episcopi Brixiensis qui circa hoc tempus floruisse putatur:

FL. . LATINO . EPISCOPO
AN. III. . M. VII. . PRESB
AN. XV. . EXORC . AN. XII
ET . LATINILLAE . ET . FL
MACRINO . LECTORI
FL . PAVLINA . NEPTIS
B. M. M. P.

Tertullianus *de Praescriptionibus* c. 41. primus est qui hoc officium recolat perstringens haereticos apud quos *hodie Diaconus qui cras Lector, hodie presbyter qui cras laicus.* s. Ambrosius loquens de Lectoribus eos nobis saepe repraesentat *parvulos:* De Excessu Fratris 1. 61. *quantus fuerit, hodie per vocem Lectoris parvuli, Spiritus Sanctus expressit, etc.* Vide ibi notam PP. Maurinorum. De Lectore adolescentulo loquitur alia Brixiensis epigraphe, apud Brunati: *Sulle Epigrafi cristiane antiche di Brescia, Lettera al Card. Mai.*

ATTIO . PROCVLO
LECTORI . FILIO . DVLCIS
SIMO . QVI . VIXIT . AN. XVIII.
M. VIII. D. VIII. FABIA . SECVN
DA . CONTRA . VOT . ME
NSAM . POSVIT
B. M.

Lectores caeterique minores clerici in Ecclesia Mediol. sub cura Primicerii vel Diaconi degebant. Paulin. in *Vita s. Ambr.*

3 *Maternus.* Domo Mediolanensem fuisse Maternum conjici potest ex gradu quem jam tenebat in clero hujus Ecclesiae.

Mihi credite: iste coelesti praeelectus examine, et praesenti gregi praeesse, et lupis valet circumlatrantibus praevalere, divino fretus, ut credo, juvamine. Nolite, inquam, metuere, nec Pastorem proprium ex alienis ovilibus amplius opperiri. En habetis Maternum sanctissimum, dignum in cunctis depositi Patroni virtutum gradibus vicarium. Nam sicut Elias Elisaeum relinquens, duplici virtute [1] *ditavit, ita et celebrandae memoriae Praesul eximius Monas Maternum* [2] *corpore, non fide deserens, geminum praebuit haereditariae virtutis augmentum.* Itaque his, atque aliis optimi senis qui aderant animati sermonibus annuunt divinae revelationi, ac virum Domini Maternum, ut Pastoris obsequium non contemnendum ducat, supplices deprecantur.

Ille, quia erat piissimus, et ad postulata proclivior, utrum preci cedere, an obniti congrueret, diu vixque deliberans, flevit inlacrymans [3], et attonitis in medio constitit auribus. At vero clerus simul et populus insistunt precibus; iterum atque iterum, ut sibi non obsistat, flebiliter ingeminant. Quis valeret denegare, quod tantopere Fidelis caterva Deo inspirante petebat? Cessit ergo clementer [4], intelligens divinae praedestinationis examen, suorumque confratrum necessariam non renuit functionem.

Caput XXIII.

S. Maternus curam gerit de Confessoribus Galli Imperat. persecutione perculsis: ad fidem plurimos perducit.

Quoniam autem fervor adhuc succensae per Decium persequutionis necdum fuerat extinctus; sed succedentibus sibi invicem ministris [5] diabolicis, ac suae vesaniae fomitem suggerentibus, atrocior [6] subinde per

1 *Elias Elisaeum virtute.* IV. Regum, capite 2. ver. 15.

2 *Monas Maternum.* Et hoc testimonio confirmatur series chronologica jam asserta episcoporum mediolanensium, nempe Monae Maternum successisse.


3 *Flevit inlacrymans.* Mombritius, *flevit non lacrymans.* Fortasse lectio genuina fuerit: *stetit non lacrymans*, quae esset phrasis Virgiliana exprimens animi statum subito magnae calamitatis nuncio perculsi.


4 *Cessit.* Circa mensem Martium anni 252. Initio pontificatus Materni Ecclesia Romana adhuc urebatur scandalo Novatiani primi Antipapae et haeretici, qui illustriores Ecclesias Orientis et Occidentis conatus erat adtrahere sui in communionem schismatis. Maternum pro Ecclesiae unitate stetisse infra innuetur.


5 *Persecutio succedentib. ministris.* Hi fuerunt Gallus et Volusianus Augusti: qui persecutionem excitaverunt circa Julium anni 252., occasione, ut quibusdam videtur, pestilentiae quae universum late orbem depopulabatur; ad quam avertendam cum christiani diis supplicare nollent, hostes imperii declarati ad mortem rapiebantur. Haec pestilentia per annos XV. grassata est: quo tempore tam calamitoso virtus enituit episcoporum s. Cypriani, s. Gregorii Thaumaturgi, s. Dionysii Alexandrini, multorumque aliorum: opinor et s. Materni.

6 *Atrocior.* S. Cyprianus Epistola 56. edit. Maurinor. ad s. Cornelium Papam, hanc persecutionem appellat pugnam *non talem qualis fuit illa quae transiit, sed graviorem et ferociorem;* ad quam pugnam (Epist. 57.) *non singuli milites sed tota simul castra* (christianorum) *prodierunt.* Hoc anno 252. die XVIII. Kal. Octobr. s. Cornelius martyrium fecit.


Sepulchrum I. cum indiciis martyrii










Sepulchrum II. cum symbolis christianis









mundi climata, super quam fari potest, adversum Christianos viros aestus incitabatur: hujus, de quo loquimur, Pastoris vigilantissimi haec cura sollicitudoque fuit, ut positos in ergastulis milites Christi, patientiae armis indueret, certandi audacia imbueret, ac triumphandi fiducia recrearet [1]: eorum, si qui forte oppetiissent, aut gladiali sententia detruncati, aut acrioribus tormentis exanimati, condigne corpora sepulturae mandaret; jugibus excubiis pernoctanter inviseret; minimae quoque ex ipsis particulae, velut pretiosissimae coelestis thesauri margaritae [2], ne disperirent, aliquo modo sollicitus satageret, inventasque condignis illico thecis reponeret [3].

His atque hujuscemodi Vir sanctus virtutum studiis intentus, maximam apud Deum et homines praerogativam sanctitatis obtinuit; eatenus ut ab ipsis crudelitatis Principibus pro sui mansuetudine, ac serenae mentis hilaritate, paterna (ut ita dicam) habitus veneratione, meritoque cumulatus honore [4], *Pater Patriae* vocaretur. Et nisi eos insensatae mentis, atque infandae servitutis redargueret, nullam ipse vel ipsius pedissequi perferre ultra sinerentur calumniam. Ad cujus rei indicium certus ipsius discipulatui

1 *Positos in ergastulis... recrearet.* Eadem legas in Actis s. Alexandri Martyris ex MSS. antiquiss. Monasterii s. Gratae Bergomi et ex Codice pergam. saec. X. Bergomensis Cathedr. *Maternus sanctae mediolanensis ecclesiae fidelis episcopus circuibat ergastula, eorumque* (Confessor.) *deosculans vincula, consolabatur eos in omni viriliter agere constantia.* De s. Materni cura pro Martyribus agunt et *Acta* s. Victoris M.

2 *Velut pretiosissimae margaritae.* Acta s. Polycarpi: *οστᾶ αὐτοῦ τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν: ossa ejus gemmis pretiosissimis pretiosiora abstulimus.* Neque solum ossa sed et instrumenta suppliciorum christiani in loculis martyrum recondebant: quae demum reperta pro sacris et pretiosissimis Reliquiis habita sunt. Vide s. Ambrosium *Exhortat. Virginit.* c. 2. ubi de ligno crucis et de clavis repertis in sepulcro ss. Martyr. Vitalis et Agricolae; quae omnia martyrii instrumenta, tamquam thesauros, a se collecta fuisse testatur.

3 *Condignis thecis reponere.* Hujus piae consuetudinis testimonio sunt sepulchra prope s. Nazarium reperta anno 1845., quae ad prima tria saecula pertinere demonstravi Disertatt. duabus insertis Ephemeridi Mediolan. *Amico Cattolico* T. IX. pag. 325., et pag. 415. sub titulo *Una Catacomba dei primi secoli scoperta in Milano.* Illa sepulchra exterius quidem nullum depositi corporis signum praeferebant, intus autem vere *condignae thecae* erant, nempe ornata picturis symbolisque christianis. Horum alterum servabat martyrum ossa et sanguinem, suppliciorumque pictas imagines; alterum inter caetera symbola *septem stellas* sexies repraesentabat; ex quibus tempus Schismatis Novatiani argumentari mihi licuit Disertat. inserta Ephemeridi eidem T. X. pag. 201. Nam quum septem stellae significarent Ecclesiam unam et universalem, in qua dumtaxat lux est et salus; quumque hanc veritatem a SS. Patribus post medium saeculum tertium propter perniciosum Novatiani in Romana Ecclesia schisma, valde inculcatam reperiamus; congruum rationi est opinari, haec sepulcra, quae certe ad tempus martyrum pertinent, fuisse condita post medium saeculum tertium, sub episcopo s. Materno, ejusque curâ pastorali. Nequid autem a me desideretur quod ad illustrandas Ecclesiae nostrae antiquitates conferat, exhibeo icunculas picturarum, quas memoravi.

4 *Paterna veneratione... pater patriae vocaretur.* Scilc. veluti pater, veneratione omnium tituloque *pater patriae* gaudebat. Qui titulus quidem inter nobilissima Imperatorum decora recensebatur, et publicis monumentis, nummisque inscribebatur: poterat tamen privato judicio et usu etiam de Materno usurpari qui vere et proprie parens ac servator civitatis erat.

Christicolarum delegatus fuerat numerus; quatenus eo Christianae Fidei regula imbuto, secumque libere quo vellet loco versanti [1], ceteros imperialibus permitteret cultibus, lusibusque theatralibus occupari.

Denique haud dubium erat, plurimos regalis aulae ministros Christianae doctrinae cultoribus assectando blandiri; quandoquidem nonnulli, quorum mens partim fuerat divino adacta cuspide, partim venatorum [2] spiritalium clamoribus excitata, jam tunc non modice vererentur militari clamyde circumdari, pileo redimiri, trabea decorari, vixdum Caesarem, Consulemve comitari: raro amphitheatrum ingredi, raro concursibus, publicisque lusibus permisceri soliti. Mirum valde! transmutatos subito ex diuturna radice multorum videres affectus, et qua de causa id acciderit, minime pervideres. Sed illi divinorum conscii secretorum, sub veteri habitu ad tempus occultari, novum indui hominem malebant, notantes sedule in secreto mentis cubiculo non pendula [3] Apollinis oracula, sed Christi potius exempla, atque praecepta salubria. Aliqui vero ex eis agones Martyrum sollicite contemplati, ad posteritatis memoriam chartis tradere [4], et christianis bibliothecis fideliter inserere, prout videre contigit, non tardabant; quatenus his relectis succedentium militum animi recreati, simile robur mente conciperent, et momentanea certantium dispendia non curarent.

Ergo, ut prius dicere debui, quaedam tunc ex insperato divinâ pietate procurata, Christique Jesu arte perquisita, sese Mediolanensium plebi medicina profuderat: quum Antistiti Materno, Christiana libertate cum suis donato [5], quocumque vellet procedere liceret. Et quamquam praefixus, abbreviatus, ac imminutus esse deberet, edicto pendente, Christianorum terminus; non minus tamen dilatabatur, multiplicabaturque quotidie, ipsis ad Fidem convolantibus lanistis, et carnificibus; dispensante scilicet justo

1 *Certus christicolarum numerus... secum libere versanti.* Hujus beneficii largitorem fuisse Valerianum Imperat. Auctor postea refert: ibi (p. 75. not. 3.) fient hac de re animadversiones.

2 *Venatorum spiritual.* Ex Ps. 44. *Sagittae tuae acutae, Potentissime, in corda inimicorum Regis,* scil. tuorum. Item ex illo Evangelii: *faciam vos fieri piscatores hominum.*

3 *Pendula:* id est incerta, fallacia.

4 *Agones Martyrum chartis tradere.* Usque ab initio Ecclesiae mos fuit colligendi Acta Martyrum, statutique sunt Notarii qui ea digererent et custodirent. Nec post divinas Scripturas quidquam sanctius atque antiquius esse deberet quam primigenia et genuina Martyrum Acta. Nam martyrum dicta tamquam a Spiritu Sancto inspirata haberi debent juxta Evangelicam sententiam *Marc.* XIII. 11.: facta vero, scilc. mansuetudinem et constantiam in suppliciis, tamquam divinae gratiae miracula suspicere et venerari necesse est. Verum magno rei ecclesiasticae detrimento, pleraque ex illis bellorum, cladium, ignis, aliisque temporum injuriis perierunt; ex iis vero quae superfuerant, multa mediis saeculis pietate ineruditâ corrupta sunt. Attamen, monachus Benedictinus Ruinartius ex Bibliothecarum latebris, ex Patribus, aliisque fontibus multa *Acta Martyrum sincera et selecta* protulit, omnium consensu probatissima; quod et alii praestiterunt, Bollandistae maxime.

5 *Christiana libertate cum suis donato.* Vide pag. 75. notam 3.

Judice Christo, per quem omne, quod vesani Principes suis cultoribus proponebant ad poenam, altiori consilio vertebatur ad gloriam.

Caput XXIV.

Valeriani et Gallieni Impp. Persecutio: S. Maternus cum Ecclesia Mediolanensi quiete gaudet.

Sed ut proposita persequar, Gallus Caesar quum non pleno biennio Imperium tenuisset, rebus humanis vitaque privatus, Valeriano principatum reliquit [1]. Hic primo Imperii sui tempore humanus multum Dei famulis, ac benignissimus extitit, adeo ut veneratione apud ipsum habiti essent; et suae domus familiam Christi efficeret Ecclesiam [2]: credo equidem, praedecessorum suorum subitaneam veritus exstirpationem, quam solâ Christiani nominis vexatione illatam nemo dubitaverit. Interea ubi processu temporis Magi cujusdam pessimo se subdidit magisterio, depravatus mente, et a solido praecipitatus, Christianorum paedagogos persequi, et exterminari praecepit, tamquam magicarum, quibus se dederat, artium proditores.

Et quum per dies singulos Caesaris male fascinati furor excrescens alios spiculatorum gladiis jugularet, alios suppliciis, et diversis cruciatuum generibus affligeret, nonnullos squallore carcerum, et catenarum ponderibus enecaret, et insuper nequis ad eos prorsus accederet, simili poena interminaretur: concessit tamen onnipotentis Dei provida majestas, Confessorem suum Sanctum Maternum Episcopum inter tot bella quietum [3], velut quem ad futura cer-

1 *Valeriano principatum reliquit.* Anno 253. circa mensem Maium Gallus et Volusianus, *non completo biennio* ut inquit Eutropius, interfecti sunt; imperiumque consecutus est Valerianus.

2 *Humanus Dei famulis... Christi efficeret Ecclesiam.* Haec ex s. Dionysii Epistola apud Euseb. VII. 10. sumpta sunt. *Valerianus ante persecutionem fuit mansuetus ac benignus erga famulos Dei... totaque ejus familia piis hominibus abundabat ac Dei Ecclesia esse videbatur. Verum quidam princeps magorum Ægipti illum tandem perdito consilio depravavit et impulit,* etc.

3 *Concessit Maternum inter tot bella quietum.* Supra tradiderat Auctor, hac quiete indulgentia Principum gavisum esse Maternum. Hìc vero cui Principi fuerit referenda patefacit, nempe Valeriano et Gallieno simul imperantibus. Paris indulgentiae privilegium credere oporteret, per haec tempora, concessum Quintio civi Dertonensi, patri s. Innocentii Dertonensis Episcopi et Conf., si verax esset *Vita s. Innocentii* scripta saec. VII. vel VIII. Legitur enim: *Quintius habebat auctoritatem a Valeriano et Gallieno* (filio ejus) *ut sine ulla persecutione christianae legis cultor esset, ut nemo imperatorum molestus esset generi illius.* Ego tamen opinor hanc veniam Materno datam a Gallieno post Valeriani patris captivitatem; neque fuisse aliam ac quam universis Episcopis dedit. Primo enim Valerianus ita saevam persecutionem intulit ut hujus indulgentiae actus probabilis esse nequeat. Narrat enim Orosius VII. 22., *Valerianum per omnem Romani regni latitudinem sanctorum sanguinem fudisse:* ex Cypriani vero Epistolis et ex Actis Martyrum constat, Episcopos et clericos omnes praecipue, ad mortem designatos fuisse. Deinde, ut mox dicetur, Gallienus pacem Ecclesiae restituit *Rescriptis* ad diversos Episcopos datis: Euseb. VII. 13. Probabile est tamen dedisse ad Mediolanensem Episcopum specialis privilegii Rescriptum, scilc. nequis ullo modo illi molestus esset. Probabile est, inquam; nam Gallienus contra Ger-

tamina reservare disponens, tranquillitatem sibi non sine ingenti praejudicio commoneret esse collatam.

Quam rem vir Domini sagaci perpendens animo, instanter tam sibi, quam sibi commissae plebi justitiae arma fabricabat, exhibendo se suosque velut Dei ministros in multa patientia, in vigiliis, et jejuniis multis, et Apostolicam tubam jugiter insonando: *Ecce nunc tempus,* inquiens, *acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Ac deinceps, *Solliciti,* ajebat, *estote fratres, et filii mei, et oculis mentis simul et corporis vigilate, ne vos inopinata temporis quies inertes reddens, ac desides superventurae irae turbinem aequanimiter sufferre non patiatur. Nolite, quaeso, cedere; nolite vel ad momentum armis nudari spiritalibus. Nondum hostis interiit, nondum furiarum incentiva extincta sunt. Habet adhuc aliquid, quod superaddat doli totius fraudisque magister: qui si nos torpentes atque imparatos invenerit, miserabiliter trucidabit. Sin vero stantes super custodias nostras, ac loricatos perspexerit, ubi nequidquam ex adverso telorum imbrem intorserit, victus atque confusus aufugiet illico, omnesque deinceps versutiae illius habebuntur pro nihilo. Ergo dum vacat, adversum omnes ejus insidias, Christianas acies praeparemus, et contra unumquodque diaboli telum, par missile fabricemus. Illecebras subministrans, vincendus est per continentiam; injurias, et tormenta infligens, vincendus est per patientiam. O quam felices erunt qui vicerint!* His, et aliis multis, quae compendio expediuntur, adhortationibus, et praeceptis magnificus Antistes suorum jugiter mentes auditorum communiens, cunctos poene de Martyrii gloria fecit esse ferventes.

Illud praecipue in cunctis beati viri meritis ut laudabile fuit, ita etiam nec occultum; quia inter praedicandum, aut cujuspiam boni operis agendum, quadam mentis compassione tactus intrinsecus, frequentibus lacrymarum fontibus ora pectusque rigabat. Et quamvis curâ gregis sibi commendati non parum angeretur; numquam tamen interni affectum luminis ab assidua oratione claudebat. Mirantibus discipulis, et quam ob causam ita fleret sciscitantibus, quodam tempore fertur respondisse: *Non ego, filii, rerum damna fragilium, sed humanarum animarum miserias lugeo, dum illos sub gravi servitutis vinculo subjugatos video, quos ad summam libertatis gloriam a Conditore omnium ex nihilo factos scio. Etenim* [1] *homo, qui ad laudandum Deum fuerat creatus, daemonum obsequiis miser se plaudit mancipatum. Nec recogitat insanus, quia illis ponit libamina, qui secum in Inferno arsuri*

manos bella gerens, Mediolani (quae urbs tunc temporis belli propugnaculum erat) diversatus fuerit, eamque aequi bonique habuerit: Orosius autem lib. VII. 22. refert, *Gallienum Mediolani moratum* et *libidinibus inserviisse.*

1 *Etenim.* Mombrit.: *En.*

erunt per secula. Qua de re multum doleo: ut aliquando resipiscant per Mediatorem Christum exorare non cesso. Quin etiam pro his, quos Christianae professionis calumniâ, carcerum horroribus, catenarum ponderibus, equleis, flagris[1], *metallis, exiliis, adustionibus, obtruncationibus, variisque tormentorum generibus affligi contigit, summo conamine non desino interpellare, ut universis pro sua causa dimicantibus ille coelestis Medicus rorem superfundat misericordiae; tribuens eis indefessam mentis constantiam, invictam patientiam, certamque superandi fiduciam: quatenus non illis praevaleat hostis invidia persequentis, sed vincat potius fortis dextera coronantis.*

Me quoque, me tanto Pastoris officio valde immeritum ante omnia, et post omnia lugeo; magni pendens Pastorum Principis tremendam de creditis ovibus discussionem, ne aliqua fraude circumstrepentium luporum amittam eos, quos mihi occultâ sui dispensatione judicii, mundi totius Arbiter educandos in Fide, ac sanctitate commisit. Pro quibus etiam atque etiam ingemisco frequenter et defleo, clamans humiliter cum eodem Christo Jesu, et dicens: Pater sancte, serva eos in veritate tua, quos dedisti mihi. *Nunc nunc, o dilectissimi, nunc illud nobis Propheticum occurrat:* Cibabis nos, Domine Deus, pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura. *Confido, inquam, quoniam* in mensura; *quia non patietur nos tentari supra id quod possumus ferre, neque in perpetuum indignabitur nobis; sed repropitiabitur servis suis, dans solitum misericordiae suae temperamentum, ut possimus sustinere.* Haec de sancti viri dictis adnotavi, ut facile possit agnosci, quantae sanctitatis, quantaeque mansuetudinis habuerit plenitudinem. Nunc ad reliqua ejus gesta vertatur articulus, quae adeo sunt multis ignota, ut longi temporis alluvione, omnium poene memoriae abolita putentur[2].

1 *Catenarum ponderibus, equleis, flagris.* In sepulchro Sannazariano quo Martyris supplicia picta erant (vide Tabul. pag. 73.) visebantur catenae, equleus, uncus.

2 *Multis ignota ut longi temporis alluvione omnium pene memoriae abolita putentur.* Haec Auctoris assertio dupliciter considerari potest: et tamquam argumentum, eumdem Auctorem longo quidem temporis intervallo distasse a saeculo tertio quo Maternus florebat: et tamquam argumentum, spatium hoc non nimis longum fuisse, neque excessisse saeculum sextum. Nam, si bene rem perpendas, facta s. Materni *multis ignota*, aliquibus tamen adhuc nota erant, adhuc aliquibus in *memoria* erant, adhuc traditio oralis de rebus a Materno gestis vivebat. Jam vero id supponit non longissimam temporis distantiam. Pari modo de s. Mona, qui decessit anno 250. asserit pag. 63., eum *octogenarium ferme* fuisse anno 247. *ut ferunt qui illud paterna traditione nosse potuerunt.* Non ait *ut fertur*, *ut traditur*; sed *ut ferunt* adhuc in praesens homines qui illud *novisse potuerunt* a patribus, scilicet ab abavo vel atavo. Haec igitur dicendi ratio nos certos facit, inter auctorem et s. Monam intercessisse non plus quam quatuor aut quinque generationes hominum, quibus possibilem longaevitatem adscribere licet. Vide hac de re quae dicta sunt in Disertatione 1.ª

Caput XXV.

De Imperatoribus a Valeriano ad Diocletianum.

Igitur ea tempestate, ut praefatus sum, diversis, toto Orbe Romano, Valeriani primatibus Christi graviter Ecclesiam agitantibus, et more rabidorum canum imbecilles viros, ac simplices calcaneo tenus trahentibus, et morsu pestifero maculantibus, Praesul eximius Maternus divino vallatus munimine cum sibi subjectis ovibus permansit illaesus. Nec mora: impii Caesaris dolor conversus est in caput ejus, et iniquitas ejus in verticem ipsius, digna satis ultione, descendit. Nam qui multis, saevo ritu, liberis orbari fecerat patres, ipse a barbaris captus, et luminibus orbatus, Regno simul vitaque cassus obperiit [1].

Post quem filius ejus Gallienus rerum summam obtinens, Patris exitio territus, lenius ac mitius erga Christianos [2] viros agere decrevit. Datis confestim decretis, inhibuit supplicia, persequutionesque extinxit, permittens singulos melioribus, prout cordi est, cerimoniis uti.

Qui postquam vitae metas contigit [3], Claudio [4] Regni apicem reli-

[1] *A barbaris captus, et luminibus orbatus... obperiit.* Valerianus a Persis captus regi Sapori equum ascendenti pro scabello *terga praebere jubebatur.... Postea direpta est ei cutis, etc.* Lact. *de Morte Persecutor.* Haec autem calamitas illum perculit anno 260. Valeriano in captivitate degente solus jam Gallienus regnare coepit anno 261. Coss. ipso Gallieno Aug. IV. et Volusiano.

[2] *Gallienus patris exitio territus lenius ac mitius erga christianos.* Euseb. VII. 14. *Valeriano a barbaris capto, filius ejus Gallienus solus imperium oblinens, moderatius se gessit: missisque edictis, persecutionem sedavit, utque Antistites secure deinceps munus suum obirent, praecepit.... Est et alia ejusdem Imperatoris Constitutio ad alios Episcopos data, qua iis permisit ut....* Orosius L. VII. 22. *Gallienus tam claro Dei judicio territus, pacem Ecclesiae trepida satisfactione restituit.*

[3] *Qui postquam vitae metas contigit.* Oros. Historiar. L. VII. 22. *Gallienus cum rem publicam deseruisset, MEDIOLANI libidinibus inserviens, occisus est.* Idem Eutropius Breviario Hist. Rom. L. IX.

[4] *Claudio.* Claudius Gothicus optimus princeps prope Mediolanum electus, urbem nostram ab Aureoli Ducis armis liberat, eumque secus Abduam ad Pontem Aureoli, nunc *Pontirolo* preaelio vincit, occidit et sepultura donat in monumento, cujus typus visitur apud Alciatum Mediolanensem J. C. *Antiquae Inscriptiones Veteraque Monumenta Patriae.* In fronte arcae sculptus est hippopotamus, dirum animal, inscriptum ΑΥΡΕΟΛΟΣ, quod intra spiram draconis caudam mordentis includitur; signa tyrannidis. In latere hoc epitaphium, quod innuit etiam Trebellius Pollio in *Aureolo.*

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΑΥΡΕΟΛΩ ΜΕΤΑ ΔΗΙΟΝ ΑΡΕΑ ΚΑΙΣΑΡ
ΤΑ ΚΤΕΡΕΑ, ΘΝΗΤΩΝ ΩΣ ΘΕΜΙΣ, ΕΝΔΙΔΟΕΙ.
ΤΩ ΓΑΡ ΚΑΙ ΖΩΗΝ' ΑΛΛ' ΟΥΧ ΕΘΕΛΗΣΕ ΦΡΟΝΗΜΑ
ΠΑΣΙΝ ΕΠΙΡΡΗΤΟΙΣ ΤΟΥ ΣΤΡΑΤΟΥ ΑΝΤΙΒΙΟΝ.
ΚΕΙΝΟΣ Δ' ΟΙΚΤΙΡΜΩΝ ΚΑΙ ΣΩΜΑΤΟΣ ΕΣΧΑΤ' ΟΠΙΖΩΝ,
ΑΥΡΕΟΛΟΥ ΓΕΦΥΡΑΝ ΕΙΣΑΤΟ ΤΗΝΤΕ ΤΑΦΗΝ.

Quam epigraphem sic verto.

Claudius Aureolo Caesar post praelia saeva
Dat, vita functis ut decet, inferias.
Vitam et donasset; sequier sed noluit, omni
Invito claro milite, consilium.
Ille tamen clemens et corporis ultima curans,
Aureoli pontem construit et tumulum.

quit. Post quem Aurelianus, ac deinde [1] Probus; deinceps Carus [2], et postmodum Diocletianus[3], et Maximianus rerum domini extiterunt. Ita factum est, ut ab anno primo Gallieni usque ad decimum Diocletiani, annis circiter triginta [4], licet subobscura, ac tepente pace [5], Ecclesiarum Christi persequutio cessaret. Suboscura autem pace dixerim, salvo eo, quod semper bonis profani, Fidelibus perfidi, piis impii more solito invident, et quantum ad ipsos, cessante sententia, malitia non cessat [6].

1 *Deinde.* Aureliano successit Tacitus, quem Auctor praetermittit sicut et caeteros qui Imperium brevissime tenuerunt. Cumque Tacitus demum post multos imperatores primus non ab exercitu sed a Senatu electus fuisset, Senatus publicas epistolas ea de re misit ad Imperii civitates praecipuas, teste Vopisco in *Floriano* c. V. « *Senatus amplissimus Curiae Carthaginensi salutem*... item *Curiae Trevirorum*.... *Eodem modo scriptum est Antiochensibus, Aquileiensibus, MEDIOLANENSIBVS, Alexandrinis, Thessalonicensibus, Corinthiis et Athenieusibus.*

2 *Carus.* Vopiscus Carum MEDIOLANENSEM fuisse tradit. Post Carum filius ejus Carinus regnum adipiscitur; qui ut refert Vopiscus: *inter poma et melones natavit: ROSIS MEDIOLANENSIBVS et triclinia et cubicula stravit.*

3 *Diocletianus.* Regnare coepit una cum Carino anno 284., solus anno 285.: anno sequenti 286. Kalendis Aprilis Maximianum Herculeum imperii collegam dixit.

4 *Ab anno primo Gallieni usque ad decimum Diocletiani, annis circiter triginta.* Gallienus, ut jam dictum est, regnare solus coepit anno 261. Diocletiani vero annus imperii decimus incidit in annum aerae vulg. 293. Hoc anno quo, ut Pagius notat, Decennalia festa sui imperii edidit, teste Eusebio in *Chronico*: *Diocletianus adorari se ut Deum, et gemmas vestibus calceamentisque inseri jussit, cum ante eum*... Ex his optime arguit Ruinartius *Praefat. in Acta,* coeptam Persecutionem; probatque factis. Nec conjecturis uti oportet cum Eusebius id aperte tradat L. VII. cap. ultimo in fine. Haec vero persecutio acerbior in dies fiebat, donec anno 303. et 304. omnium ferocissima evasit.

5 *Tepente pace.* Euseb. VIII. c. IV. *Tempore quod Decii et Valeriani persecutionem subsecutum est, diabolus clam et occulte insidiabatur Ecclesiae.* S. Ambrosius in Psalm. 118., de s. Sebastiano qui hoc tempore passus est, inquit: *Sebastianus martyr, MEDIOLANENSIS oriundus est*... *Advertit hìc aut nullum esse aut tepere certamen. Romam profectus est ubi propter fidei studium persecutionis acerba fervebant: ibi passus est, hoc est ibi coronatus.*

6 *Cessante sententia malitia non cessat.* Etsi primis decem annis Diocletianus fere propitius christianis fuerit, attamen etiam his annis huc illuc diversi martyres ad mortem pro Christo raptati sunt, praesertim militares. Euseb. loco cit. pergit: *diabolus non simul et confertim nobis bellum intulit; sed eos dumtaxat, qui in exercitu militabant, adpetivit*... *Verumtamen parce adhuc et raro sanguinem quorundam fundere ausus est.* Memoro mediolanenses martyres hujus temporis, ac primo s. Sebastianum. Acta eius ab ipso s. Ambrosio scripta perhibentur. In ipsis legitur: *Occiso Carino ad Margum, Maximo et Aquilino Couss. facta est persecutio* ... id est anno 286.: demum 20. Jan. anno 288. sive IV. Diocletiani, Sebastianus martyrium pertulit. Item s. Martyr Victor anno 286. sive anno II. Diocletiani, capite pro Christo plexus est: quod eruitur ex epigraphis musivis saeculi V. existentibus in sacello s. Victoris *in coelo aureo,* olim Basilica sive Ædes Faustae nuncupato, intra Basilicam Ambrosianam. Epigraphae hujusmodi sunt:

VICTOR
P. ANTE · GRA. I. AE · FAVST. IN · F

LVΓΔVNI IVFAVI
IN MHNI NEΩ IVS
SIS MAXIMIA
NI. V. H. I. AV*g*. EΔIKHN

FELIX IN DEO NECX
M. IVNIO MAIO II. CS.
IN IXIΛΥO MEO IN
VIII IDIVM MAI. F. M.

Victor itaque militare Sacramentum *juraverat*

Per idem tempus gloriosissimus Antistes Dei Maternus omni studio invigilans, suas, ut praedixi, oves pascuis necessariis adhibitis, elegantissime saginabat: peragransque cunctas Metropolitanae sedi subditas, juxta, et procul extentas Italorum Parocchias, ecclesiasticis officiis imbuebat, sane propriis jamdudum Pastoribus destitutas, praeelectis tum demum ex clero earumdem Ecclesiarum Magistris, morum dignitate, ac fidei vigore refertis, recreabat ut pia mater, et sua quodammodo diligentia animabat.

Caput XXVI.

S. Maternus Ecclesiam Dertonensem visitat et Episcopo donat.

Quo in tempore Terdonensis [1] quoque urbis, jam olim viduatam Pastoris proprii decessu, Ecclesiam, idem vir praeferendus sua visitatione illustrasse, et confortasse memoratur. Denique ut non solius famae vulgaris opinione ordiar, sed rei gestae textum sub ordine competenti succincte depingam, transacto per passionis gloriam ad coelestem praesulatum sanctissimae memoriae Marciano [2], (qui primis Fidei suae temporibus ante paululum quam episcopali plebis ejusdem curae delegaretur, Beati Kalimeri Mediolanensis Antistitis magisterio informatus, et ipsius in praedicatione aliquandiu comes fidelissimus fuisse noscitur), plurimis annorum curriculis praefatae Terdonae populus sine benedictione Sacerdotali mansit, solis contentus Presbyterorum, aut Diaconorum [3] officiis. Quibus etiam persequutionis tur-


Lugduni, primoque militiae *mense exul* Mediolani, *M. Junio Maximo II. Cos. jussis Maximiani Val. Herc. Imp. Aug. capitali sententia obtruncatus, felici in Deo nece, VIII. id. Maii fecit martyrium; positusque est ante gradus istius aedis Faustae in pace.* His vero epigraphis corrigi possunt Acta s. Victoris saec. VIII. corrupta. Cumque et traditio et Acta socios in passione Victori jungant ss. Naborem et Felicem, consummatos Laude, tum huic anno eorum martyrium consignandum est. De iis s. Ambrosius Expos. Evang. sec. Luc. L. VII. n. 178. *Granum sinapis martyres nostri sunt Felix, Nabor et Victor: habebant odorem fidei sed latebat. Venit persecutio, arma posuerunt, colla flexerunt: contriti gladio per totius terminos mundi gratiam sui sparsere martyrii; ut jure dicatur: in omnem terram exivit sonus eorum.* Quos tres martyres honore sepulturae s. Maternus donavit Mediolani in Coemet. Philippi. Exhibeo ex illis musivis imagines eorum et s. Materni. Vide *Amico Cattolico* T. XIII. pag. 201., et pag. 241.

1 *Terdonensis.* Terdona, Dertona, Tortona urbs olim florentissima.


2 *SS. Marciano... beati Kalimeri Mediol. Antistitis magisterio.* De tempore quo floruit et passus est s. Marcianus si Acta martyrii ejus consulas, invenies eumdem morte affectum sub Hadriano Imperatore, id est ante episcopatum s. Calimeri. At vero Acta illa manifeste corrupta esse docet Tillemont *Memoires pour l'Hist. Eccles. Adrien. article* 3. Nullum igitur monumentum eâ de re habemus antiquius Anonymo nostro Auctore, nec fide dignius.

3 *Solis presbyteris aut diaconibus.* Haec sumpta videntur ex *Vita s. Innocentii* saec. IV. Episcopi Dertonensis, scripta a Celso Diacono ejus. Quae vita cum deperiisset, Auctor saeculi VII. ex memoria libri ipsius olim lecti contexuit vitam quae ad nos pervenit. Itaque hic auctor memorat s. Marcianum Episcopum Dertonensem et martyrem: narrat postea solos presbyteros et diaconos rexisse Dertonensem Ecclesiam, eosque persecutionis vi peremptos; nempe *Marcellinum presbyterum gladio occisum, sacerdotes alios exilium, alios diversa perpessos tormenta vitam finisse. Relictus est solus Julianus presbyter et Maliodorus diaconus, qui in abdito latitabant.* Postea etiam

pag. 80.









bine sublatis, raro apud id locorum mysteriorum posses invenire dispensatores coelestium.

Qua de causa cives loci non modice perturbati, deprecatoriis scriptis Metropolitanae Sedis Pontificem supplicant, cui, auctore Deo, insignis praeconiis meritorum his diebus vir Domini praesidebat Maternus: quassatam, ac poene lapsam Dei domum, hoc est plebem Fidelium nuntiant, et nisi subveniens occurrat, illico decidendam. Calamitates semet ingentes consolatoris destitutam suffragiis, querebatur ferre non posse; quia dum amittit, quibus fulciri poterat, non est locus ultra in viribus, quo graves ac repentinas ventorum concussiones perferat; unde oportet achitechtus adveniat, et sibi commissae fabricae, ut ipse melius invenerit, succurrat.

Talibus Sanctus Antistes plebis afflictae precibus inflexus confestim iter arripuit, et die eodem praedictum Terdonae Castrum ingressus est. Quibus agnitis cives hinc indeque concurrunt; nonnulli ad ipsum Eridani vadum obviantes, deque Pastore populi reverentissime supplicantes, haec lacrymosis oculis ajunt: *Salve, spes Itala, Liguriae decus, et splendor Æmiliae*[1]*, diu desideratus ab Alpibus Cottiis*[2]*, ut imber serotinus tandem praestolatus advenis. Et quid dulcius aestuantibus, ac squallentibus terrae glebis, quam pluviae plenitudo coelestis? Ingredere, ingredere probabilis animarum medice, et variis afflictos incommodis quibusvis recrea clementer antidotis. At ubi morbidas oves congruae incolumitati reddideris, Pastori quoque necessario, erudito, ac provido, tui vice commenda; ne ultra jam tua sollicitudine per multarum ovium caulas particulatim diffusà, gregis redivivi sed non in prospectu positi cura dècidat, et iterum dicant gentes: ubi est Deus eorum?*

Ingressus ergo vir almificus velut sol radians in virtute sua, cunctas ex urbe idololatriae tenebras depulit, et Christi, quod semper spirabat, Fidei lumen intulit. Quinimo dispersum, ac poene annullatum Cleri Ordinem reformavit, et una cum consensu plebis praeelectum ex Diacono Maliodo-

s. Julianus *decollatus est.* Itaque omnis cura sacerdotalis *cessavit annis quindecim.*—Adverte phrasim *sacerdotalem benedictionem* in sensu *episcopalis ministerii* juxta morem antiquum.

1 *Æmiliae.* Pars Longobardiae Transpadanae complectens regiones ab Placentia et Dertona usque Ariminum: dicta Æmilia ab Æmilio Consule qui viam militarem per eam straverat. De Æmilia et de Liguria vide quae notata sunt pag. 4. et 5.

2 *Alpibus Cottiis.* Alpes Cottiae sunt ii montes qui a Cenisio protenduntur usque Dertonam, a Cottio Rege sic appellatae. Eam regionem Strabo Lib. 3. vocat Κοττιου γην,: Svetonius in *Tiberio* c. 37. *Cottii regnum.* Segusii (Susa in Piemonte) adhuc superest haec epigraphe (Maffei *Museo Veronese* p. 234. 1.)

IMP. CAESARI . AVGVSTO . DIVI . F.
PONTIFICI . MAXIMO
TRIBVNIC . POTESTATE . XV́. IMP. XIII.
M. JVLIVS . REGIS . DONNI . F. COTTIVS
PRAEFECTVS . CEIVITATIVM
QVAE . SVBSCRIPTAE . SVNT
SEGOVIORVM . SEGVSINORVM
ETC.

rum summae sanctitatis Levitam Episcopali ministerio decoravit[1], plebique poscenti Pastorem tribuit. His, quae e latere consurgebant, Beati viri gestis praelibando notatis, nunc jam ad gloriosi certaminis ejus terminum sequentis formulae volvamus excursum.

Caput XXVII.

Initio imperii Diocletianus christianis poene favet: Maximianus Herc. urbem Mediolanensem munit et ornat.

Diocletianus, et Maximianus Romani Imperii dignitate ac ditione potiti, alter orientis, alter occidentis, Romani sibimet orbis partes dederunt. Itaque Diocletianus ad orientem tendens, Maximiano, quem collegam in Regno secumque Augustum fecerat, occiduas mundi plagas ad regendum commisit: sibi in Nicomediensi urbe Imperialem sedem statuens, illi Romanae arcis sceptra imposuit, et Mediolani, velut hinc indeque concurrentium partium medioximo[2], Augustale Palatium collocavit.

Quam Maximianus urbem prae omnibus, qui ante ipsum Romani Regni Principes extiterant, fovit, auxit, atque dilexit; adeo ut ad majorem eius amplitudinem non parvum muri ambitum addiderit [3], diversis quoque eam schematibus ornando[4], antiquae Romae cognatam efficeret. Et quod multo est insignius, roseo innumerabilium Martyrum cruore perfusam, usque adeo inter affines urbes decoram reddidit, ut multo amplius per divinam gratiam Sanctorum, qui in ea passi sunt, praesidiis, quam Maximianeis[5] nunc usque constet munita propugnaculis. Pergam itaque ipsius quae fuerit cum sodali, primo Imperii sui anno[6], circa Christianos vi-

1 *Diac. Maliodorum episcopali ministerio decoravit.* Vita s. Innocentii de qua supra: *Maliodorus diaconus a sancto Materno Mediolanensi Archiepiscopo consecratus est episcopus: mansit vero in episcopatu usque ad conversionem Constantini Imperatoris.* — Ubi notanda est vox *archiepiscopo* quae saeculo circiter VII. in usum venit.

2 *Medioximo.* Plautus in Cistellaria: *At ita me dii deaeque, superi, inferi, et medioxumi,* scilc. medii inter superos et inferos.

3 *Muri ambitum addiderit....* Aurelius Victor *de Caesaribus* de Dioclet. et Maximiano loquens ait, *novis cultisque moenibus ornasse Romana culmina et Mediolanum.* Ausonius autem poeta saeculi IV., Mediolani laudes canens inquit:

. . . . duplice muro
Amplificata loci species . . .
Moeniaque in valli formam circumdata limbo.

4 *Diversis schematibus.* Σχήματα: formae, ornamenta, signa, scilc. Circus, Theatrum, Palatinae Arces, etc.

Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Omnia quae magnis operum velut aemula formis
Excellunt: nec juncta premit vicinia Romae.

Vide pag. 4. notam. 3.

5 *Maximianeis nunc usque constet munita propugnaculis.* Etiam ex hoc loco argumentari licet aetatem Auctoris: nam haec propugnacula, moenia, caeteraque Maximianea urbis nostrae ornamenta destructa et *solo aequata* sunt anno 539. Gothorum vi, teste Procopio de Bello Gothico l. 2. c. 11. τὴν πόλιν ἐς ἔδαφος καθεῖλον. Chronicon Marcellini continuat.: *Fl. Appione Cos. Gothi Mediolanum ingressi muros diruunt.* Qua de re legenda est Historia Mediolani cl. Comitis Verri. Vide Dissert. I.

6 *Primo Imperii sui anno.* Recte breve tempus Diocletianeae benevolentiae erga christia-

ros mansuetudo, quantaque post modicum vexatio, (quamvis extrinsecus), adnotare, si quivero: ut ex his quanta in Viro admirabili Materno fuerit inconcussae constantia mentis, quam efficax temporum accessus juxta sententiam praedicentis ... [1], me quoque tacente, facillime possit intelligi.

Igitur suscepto utrique Augustalis apicis diademate, mites sese ac blandos [2] cunctorum ostentui dedere. Conjuges, filias [3], totius poene domus familiam Christianae Fidei doctrinis imbui nequaquam aspernati sunt. Jamque etiam hi, qui erant a secretis, a caliculis, a cubiculo Regis, Christi lavacro abluti, sub clamyde terreni Imperii Jesu Christi milites Sacramentis coelestibus conjurati latebant. Quorum obtentu plurimi Ecclesiarum Antistites imperiale susceperant edictum, licite quos vellent suo magisterio informandi, distributo tam Romanae, quam Mediolanensis Ecclesiae, aliisque nonnullis Metropolitanae Sedis Praesulibus praefixo, ut supra dixi, Fidelium numero [4].

Caput XXVIII.

Diocletiani Imp. saeva persecutio.

Verum longe aliter superni Satoris industriâ sacro Evangelii semini providente, quanto magis praefinitâ maceriâ Dominicam mundi partem cingere nitebantur, tanto amplius divaricatis vagabundam olevisse compagibus, coeli ac terrae totius completa superficie, confusi nimium atque stupentes attendere non valebant. Hac de causa primo omnium inter militares viros [5] persequutionis scintilla coalescens, immensum toto mundo suscitavit incendium. Nam facta discussione, si qui

nos assignavit. Nam de die in diem ea benevolentia imminuta, et demum in odium versa atque in persecutionem omnium saevissimam: itaque fere singulis Diocletianei Imperii annis martyria extitisse ex Martyrum *Actis* constat.

1 *Juxta sententiam praedicentis....* Videtur deesse aliqua s. Scripturae sententia, qua significetur, viri strenui, accedente tempore calamitoso virtutem enitere.

2 *Mites sese ac blandos.* Euseb. VIII. c. 1. *Multa erga religionem christianam affecti erant benevolentia .... qui uxoribus, liberis ac famulis suis, coram semetipsis, libere religionem christianam dictis et factis profiteri permittebant.* Quem Eusebii locum non recte intellexit Valesius, optime Anonymus noster assecutus est.

3 *Conjuges, filias...* Lactantius *De Mortibus Persecut.* c. XV. filiam Diocletiani Valeriam, conjugemque Priscam, et domesticos fuisse christianos scribit; inter quos erat ipse Lactantius humaniorum litterarum professor.

4 *Praefixo Fidelium numero.* De hoc Romanae et Mediolanensis Ecclesiae privilegio nulla superest, quod ego sciam, memoria antiqua, fide digna.

5 *Primo inter militares viros.* Lactant. loco cit. c. X.: Diocletianus *milites cogi ad nefanda sacrificia praecepit*, etc. Euseb. VIII. I. ἐκ τῶν ἐν στρατείας ἀδελφῶν, *ex fratribus qui in exercitu militabant orsa primum persecutio.* Jam vero inter Mediolanenses Martyres ex militia fuerunt Alexander *sacrae Legionis primipilarius seu signifer* qui Bergomi coronatus est; Carpophorus, atque Exanthus *duo Maximiani milites in Palatio nobilissimi*; Cassius, Severinus Secundus atque Licinius; qui ut inquit Martyrolog. Rom. VII. id. Aug. *Novocomi in confessione Christi capite truncati sunt.* His accensendi sunt Firmus et Rusticus Bergomenses Veronae passi; Antoninus Placentiae; Domninus prope Parmam, etc. qui omnes milites in regionibus Episcopo Materno subjectis martyrium aut incoeperunt aut consummarunt.

essent ex militibus Christiani, ut aut immolarent, aut militiam pariter vitamque deponerent; plurimi militiam pro Fide Christi, aliquanti etiam animas posuerunt.

Hinc flamma sumens exordium cunctos paene Christiani nominis cultores uno conflagravit incendio. Impossibile dictu, quantos ex militari ordine viros nobiles et industrios, honore ac dignitate seculi sublimes, vorax in brevi flamma consumpserit. Denique procedenti tempore, aestu invidiae suscitatae de die in dies ingravescente, innumerabiles per singulas quasque urbes, et provincias Martyres efficiebantur quotidie.

Accidit etiam, quum dies solemnis Paschae immineret, ut edicta Principum cunctis palam relegerentur [1] populis, omnes per orbem destrui fundo tenus Ecclesias, infames fieri Christianorum Nobiles, in vincula conjici universos eorum Antistites, suppliciisque gravibus ad immolandum Diis cogi praecipientia.

Tum vero ingens spectaculum Sacerdotes ubique Domini huic mundo, et Angelis, et hominibus effecti sunt. Cerneres Christi Praesules et Ministros, reorum more, catenarum nexibus [2] alligatos, horrendis recludi carceribus, et adulterorum ac parricidarum custodiae mancipari. Simul etiam cum ipsis viros illustres, matronasque nobiles edictis Principalibus urgueri aut negare christianitatem, aut romanam linquere libertatem: nolentes, inverecunde et inhoneste ad publicum trahi, palam cunctis denudari, et latronum legibus, virgis, plumbatis, ac fustibus caedi. Ubique luctum, ubique moerorem, ubique foedum ac miserabile spectaculum. Sacras orationis domos, et Ecclesias Dei viventis, ab ipsis subversas ac dirutas fundamentis (proh nefas!); Divinae Scripturae libros in medio platearum igni crematos; in urbibus subito a Dei laudibus silentium, in carceribus juges ac suaves Christi famulorum modulationes; per plateas ex Clero nullum, per carceres vacuum Cleri Ordinibus locum nullum. Non est hujus operis tantae illius enormitatem metiri persequutionis.

1 *Quum dies solemnis Paschae immineret.... edicta Principum relegerentur.* Lactantius *De Mort. Persec.* XII.: *Inquiritur* (Nicomediae) *peragendae rei dies aptus et felix: ac potissimum Terminalia* (Festa) *deliguntur quae sunt ad VII. Kalendas Martias* (23. Febr.) *ut quasi terminus imponeretur huic Religioni.... Etiam litterae ad Maximianum* (in Italiam) *atque Constantium* (in Gallias) *commeaverant. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens.* Litterae Diocletiani publicatae sunt hoc anno 303. in Italia et Mediolani circa principium Aprilis, *imminente paschate*, quod et Euseb. L. VIII. c. 17. sub finem confirmat: *mense Xantico, quem Romani Aprilem vocant, cum salutaris Passionis festum immineret, repente proposita sunt edicta, quibus...*

2 *Christi Praesules catenar. nexibus.* Memoro ipsum s. Maternum vinculis, carcere, flagellis cruciatum; tum s. Dalmatium Papiae Episcopum, tum anonymum Episc. Laudensem qui in hac persecutione passi sunt.

Caput XXIX.

Maximianus Herc. Imp. Ecclesiam Mediolanensem persecutione affligit.

Igitur quum haec apud Nicomediam Orientis urbem flamma crudelitatis per Diocletianum succensa, in universas juxta longeque positas Provincias, (quas cruentus leo, et ferox, auctor ipse crudelitatis, piorum semper carnibus inhians, ad dissipandum potius sibi, quam ad regendum praeelegerat), ebullisset: haud segnior apud occidentis partes, cohaerede et participe regni simul atque [1] malitiae, paribus succenso furiis adversum Dei Ecclesiam. Quinimo dispar ei in nullo nec ferina rabies, nec furor effrenatae mentis fuit.

Totas Italiae urbes, universaque occidentis loca perlustrans, si quem forte Christi cultorem reperit, aut gladio jugulari, aut ignibus cremari, aut flagris discerpi, aut ungulis rimari, vel quibuscumque tormentis exanimari praecipiens, ab incoepto non destitit, quoadusque praecessisse collegam in cunctis facinorum generibus visus est.

Namque ubi Mediolanensium moenia edictis praecedentibus intravit, mox praeconis voce in tota clamatum est urbe: *Imperator Caesar Herculeus Maximianus Augustus, semper invictus, Triumphator, Maximus* [2] *advenit. Ecce, concurrite Cives; Deos reportate patrios. Concurrite Cives, et veneramini. Vos vos procul ab Urbe profani; Vobis dicitur, recedite Christiani.* Quumque die altero tribunal ex alto in hippodromo Circi [3] Imperiali fastu praeparatum, diademate irradians, consedisset, adstantibus populis, latialiter concionatus est, *Oportet,* inquiens, *o generosi Cives, paternorum sequi statuta morum, et his mentes informare pervigiles, ne fortè luxuriando per avia, simus nostris dignitate pariter ac libertate degeneres. Unde ad sacrosanctam deorum culturam revocantes memoriam, omnipotentibus numinibus gratanter litate sacrificiorum libamina. Porrò exsufflato superstitionis profanae ri-*

1 *Cohaerede et participe regni:* scil. Maximiano Herculeo. Lactantius *De Mortib. Persec.* locutus de Diocletiano, pergit: *Quid frater* (scilc. socius) *ejus Maximianus qui est dictus Herculeus? Non dissimilis ab eo,* etc. Postea appellat eum *hominem pestiferum;* deinde: *tres acerbissimae bestiae saeviebant,* scilc. Diocletianus, Maximianus Herc., Maximianus Galerius. Hunc vero Herculeum etiam ethnici historici appellant hominem *semiagrestem ac barbarum:* Eutropius *Breviar* Hist. Rom. Lib. X. eum appellat *virum ad omnem asperitatem saevitiamque proclivum, infidum, incommodum, civilitatis penitus expertem.* Exhibeo ejus imaginem ex nummo arg. hujus plutei seminariensis.



2 *Semper Invictus, Triumphator, Maximus.* His honoris titulis Imperatores plerumque decorabantur.

3 *Tribunal in Hippodromo Circi.* De Circo Mediolanensi jam dictum est pag. 6. Hippo-

tu [1], *et eis, qui hujusmodi affectant, explosis, in nullo participari velitis. Quin potius illos ad nostram pertrahi facite audientiam, pompantes* [2], *ut digni sunt, et ad aliorum exemplum turpiter denudatos per plateas caedentes.*

Fit clamor ingens pagani populi: Caesari Maximo, semper Vincenti, aurea saecula [3] feliciter advehenti, aeternum decus diutius imprecantur. Impleturque illico illud Domini praedicentis: *Tradet*, inquit, *fratrer fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.* Non enim aliquos consanguinitatis affectus, non amicissimorum intuitus a proditionis scelere valuit inhibere. Prodidere matres unicas filias, quascumque Christianae Fidei anulo subarrhatas [4] noverant. Nec minus et patres natos christianissimos ad Amphitheatrum pertrahentes, ut profanos, amentes,

dromus, sive locus equorum cursibus aptus videtur hic fuisse pulvinar ipsum Circi, sub quo currus et equi excurrere possent. De hoc Hippodromo habetur mentio in Actis s. Victoris M. *septima die jussit sibi Maximianus imperator tribunal in hippodromo Circi parari et jussit adduci s. Victorem.*

1 *Exsufflato superstitionis profanae ritu.* Haec cum Epigraphis Diocletiano et Maximiano inscriptis congruunt: DIOCLETIANVS .... MAXIMIANVS .... CAESS. AVGG. NOMINE CHRISTIANORVM DELETO QVI REMP. EVERTEBANT. Tum vero: DIOCLETIAN. CAES. AVG .... SVPERSTITIONE CHRISTIANOR. VBIQVE DELETA CVLTV DEORVM PROPAGATO. Baron. ad ann. 304. IX.

2 *Pompantes, pompare* a πομπεύειν significat etiam ad pompam et ludibrium alios traducere. Hist. Miscella in Leone Isaurico *nudum, super asinum verso vultu sedentem, pompavit.*

3 *Aurea saecula feliciter advehenti.* Romae Maximiano (*Grut.* 280.) epigraphe apposita

MAGNO . INVICTO . AC
SVPER . OMNES . RETRO
PRINCIPES . FORTISSIMO
IMP. CAES. M. AVRELIO
MAXIMIANO . PIO . FEL.
INVICTO . AVG.

In nummis vero frequens illa laus: *Saeculum novum: Felix Temporum Reparatio: Saeculum Aureum.*

4 *Christianae fidei anulo subarrhatas.* Dupliciter accipi potest haec phrasis: primo de fidei subarrhatione quae fit per baptismum, quo in sensu idem esset ac dicere *filiae christianae.* Iterum accipi potest pro professione *virginitatis* quo in sensu adhibetur in Serm. de s. Agnete V. et M. qui est XLVIII. Append. Opp. s. Ambrosii editus primo a PP. Maurinis: *Hinc est quod anulo fidei Agnes se adserit subarrhatam et clamat se amore* (Christi) *constrictam. O quam imitabile Virginibus ...;* significatque eas Deo dedisse fidem atque promissionis *arrham* de servando virginitatis flore. Certum est, ab ipso Ecclesiae initio fuisse Virgines virginitatem professas: in Ecclesia autem Mediolanensi tempore s. Ambrosii, ejusque curâ quam maxime virginitatis studium enituisse. Hujus professionis ritus et signum praecipuum erat *velum* ab episcopo impositum: s. Ambr. *Ad Virg. Lapsam* c. V. et VI. De quo velo mentionem facit Lapis ex diruta Ecclesiae s. Simpliciani columna structili, nuper an. 1841. extractus:

B. M.
PRENCEPIA · QVE · FVIT · IN ≈
CORPORE · ANNOS · PLVS · M
ENVS xIIII · ET · MENSIS · IIII · VER
GO · ET · NEoFETA · IN · CRISTO.

HIC · IACIACET · DEVTERIA
CVM · CAPETE · VELATO · QVE
FVIT · IN · KORPORE · ANNOS
PLVS · MENVS · XXI · ET · MENSE
VNV · POST · CONSVLATV · BASSI
III. idus occob.

Haec Deuteria deposita III. ID. OCT. anno post Consulatum Bassi, scilc. die 13. Oct. anni 432. fuit non solum virgo ut PRINCIPIA, sed et professa CVM CAPITE VELATO.

atque epilepticos domibus expulere. Econtra nonnulli genitores proprios turpiter infamantes, tortoribus Martyrum puniendos tradidere [1].

Caput XXX.

Depositio s. Materni Episcopi Mediolanensis et Confessoris.

Sed ut coepta prosequar, inter haec discrimina vir Domini Maternus de suorum gemens concussione filiorum, ut turris firmissima immobiliter persistebat; nunc hos, nunc illos frementis adversarii ictus inconcusso mentis fundamine sufferens, et sibi commissos bellantium ordines impenetrabili munimine securissimos efficiens. Quotiens inter alios vinctus catenis! quotiens Principi nequissimo praesentatus cum reliquis! Interdum etiam carceris ergastulo includi jussus, flagris atrocibus quam totiens affectus [2], non valet hujus paginâ compendii perfacile comprehendi. Inter

1 *Tortorib. martyr. puniendos tradiderunt.* Plurimos Mediolani in persecutione Maximiani Herc. martyrium fecisse constat ex Actis s. Alexandri M. et s. Fidelis M., et ex pluribus aliis monumentis. Nomina autem multorum nobis servavit die VI. Maii Martyrologium Hieronymianum in lucem productum his postremis temporibus ex Codice saec. VII. Antuerpiae a Bolland., tum ex antiquiss. Codice Lucensi a Florentinio, demum ex Corbeiensi a Luca Holstenio. Vide Opp. s. Hieronymi Veronae edita a Vallarsio et Maffeo Tom. ult.; tum Praefat. Bollandist. in Martyrol. Usuardi. Junii T. VI. P. I.

PRIDIE NONAS MAII.... MEDIOLANI
(Natalis ss.)

VICTORIS, FELICIS, item VICTORIS, CARICIAE, AVFIDIAE, IVDITH, EMERIAE, item VICTORIS, ACVTAE, FAVSTINAE, HILARIANI, VICTORIANAE, SATVRNINAE, GAVINAE, HEDENTI, FVRTVNAE, VICTVRIAE, PRIMAE, GAIANI, VALENTINAE, FORTVNATAE, POSTVMI, FAVSTINI, MAIORICI, VENVSTI, MASSVNI, PROCESSAE, SECVNDIANI, IMPORTVNAE, QVINTIANI, PETRI, TASSI, CASSERICI, MAPPALICI, VENERIAE, BONIFACIAE, QVINTI, FLORIANAE, VICTORINI, DOMVLI, GAVDVLAE, item VICTORINI, CRISPINI, POSSINI, item FELICIS, DONATI, LABORI, MASSILLAE, item GAIANI, FARERI, item QVINTI, ROGATI, MAXENTI, NINAE, VIRTVNIAE, VALERIAE, TIRONI, MATRONAE, CITINI, CVM SOCIIS EORVM ET RELIQVIS SANCTIS: FLORIANI, HERENEI, FORTVNATI, FAVSTINI, GAVINI, HERENTI, PAPPALICI, PRIMI, SECVNDI, CASSI, CELERINI, HIEREMIAE, FLAVI, GAIANI, CVM ALIIS VIGINTI: MACROBI, MARCELLINI, MAXIMI, BAFRODITI, AGVSTINIANI, NICETI CVM ALIIS LXXII MARTYRIBVS. Haec, licet summatim, notantur etiam in MSS. Martyrol. Reginae Sveciae a Luca Holstenio laudato: item in MSS. Tamlactensi, et in aliis antiquissimis Martyrologiis. Nequis vero existimet martyrum istorum antesignanos Victorem et Felicem eosdem esse ac celebres Martyres Mediolanenses passos una cum Nabore, sciat s. Victorem Maurum in hoc Martyrologio Hieron. memorari die propria VIII. idium Maii, item Naborem et Felicem IV. idus Julii. Quod siquis quaerat quomodo tot Martyres mediolanenses innotuerint et in omnium antiquissimo Martyrologio Hieronymiano excepti fuerint, cum Ecclesia Mediolanensis illos ignorasse visa sit, facilis suppetit responsio et boni ponderis. Illi Martyres ad persecutionem Maximiani Hercul. pertinere creduntur, quando *gregatim* et *turmatim* martyria fiebant: itaque in Regestis quidem Praetoris vel Proconsulis nomina singulorum romano more inscribi potuerunt: Fidelibus autem territis et latitantibus ignota pleraque remanserunt: quae demum ex regii Archivi latebris, ab Eusebio aut Hieronymo, vel potius ab aliquo collectore saeculi V. educta in lucem fuerint. Cum vero res private confecta fuerit, nec Acta superfuerint martyrii illorum, Ecclesia Mediolanensis sanctorum cultu eos nominatim non coluit: memoriam tamen eorum religiose servavit, uti videre est apud Galv. Flaminam Historicum saec. XIV. in *Manip. Flor.* cap. 37. ubi Martyres Persecutionis Maximianeae ad XVI millia fuisse, e traditione majorum se accepisse testatur. Vide quae de Martyrologio Hieronym. scitissime praefatus est Florentinius.

2 *Maternus vinctus catenis .... flagris affectus.* Martyrol. Romanum die 18. Julii: *Mediolani s. Materni Episcopi qui sub Maximiano*

quae Christi semper clypeo protectus et galea, hostiles impetus miles egregius contrastabat.

Haec [1] itaque et hujusmodi plura gerens, quae proferre per nos, atque exprimere, ut dignum est, non potest sermo pauperculus, melius vobis ea vester dicet affectus summae alacritatis. Instantiae [2] fuit cultor, et custos animarum, cupiditates resecans, iras comprimens, malitias exstirpans. His magis vir iste temporibus necessarius fuit, quibus tanta iniquitas sumptis quotidie deficiente justitia viribus, convalescit. Et quidem ille in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione, et aviditate in illa aeterna patria conversatus est, et quasi bonus ratiocinator, velut ad centuplum manum porrigens, semper de sinistra transmisit ad dextram, et in coelo reposuit sudores suos. Nam etsi heic opera ejus videntur, illuc operum merita transierunt. Illius in quantum possimus vestigiis insistamus, qui per illam nimis arctam viam ad coeli ampla festinans, quam consequeremur ostendit.

Depositus est idem Christi Confessor sub Maximiano Imperatore [3], XV. Kal. Augustas [4]. Regnante Domino N. J. C. cui est honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Imp. pro fide Christi et pro Ecclesia sibi commissa in carcerem detrusus et saepe verberibus caesus, tandem multis confessionibus clarus obdormivit in Domino.

1 Quae sequntur, in MSS. Ambr. in margine addita sunt aliâ manu. Ea habet etiam Mombritius.

2 *Instantiae:* fortasse *justitiae?* Melius, *instantiae* in oratione, juxta illud Pauli: *orationi instantes.*

3 *Sub Maximiano Imp.* Maximianus Herculeus anno 305. Kalendis Maii imperio coactus se abdicavit purpuramque dimisit, idque Mediolani, quod et Diocletianus Nicomediae praestitit. Orosius L. VII. 25. *Secundo persecutionis anno .... sub una die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud MEDIOLANVM potestatem Imperii simul cultumque deposuerunt.* Jam vero s. Maternus obiit die 18. Julii sub Maximiano adhuc imperatore; ergo ante annum 305.: cumque s. Maternus praecipuam persecutionis Maximianeae vim sustinuerit incoeptae aprili anni 303. et per multos menses Fideles confirmaverit et accenderit ad martyrium, consequitur obiisse illum post annum 303. Recte igitur obitus illius assignatur anno 304. novem menses ante abdicationem Maximiani Herculei. Qui Maximianus cum se recepisset ad vitam privatam in Galliis sub genero Constantino Imperatore et rursus recuperandi imperii cupiditate actus genero ipsi insidias struxisset, Massiliae strangulatus est, anno, ut probabilius est, 310. *Ita,* inquit Lactantius c. 30., *eliso et fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi et ignominiosa morte finivit.*

4 *Depositus idem Christi Confessor XV. Kal. Aug.* Catalogus Ambros.: *Maternus dep. XV. Kl. Aug. ad sēm naborē.* Catalog. Landulp.: *Obiit XV. Kal. Augusti, sepultus ad s. Naborem.* Sepultus est autem s. Maternus in Coemeterio Philippi, sive in Basilica Naboriana. S. Carolus anno 1571. die 14. Sept. ejus Reliquias una cum illis ss. Naboris et Felicis transtulit ad novum altare majus; quæ demum, destructa hac Basilica, ad Basilicam Ambrosianam translatae sunt et in sacello s. Savinae reconditae anno 1799. In honorem s. Materni plures Ecclesiae antiquitus dedicatae sunt, tum monasteria, et ipsamet castella. Vide Puccinelli *Zodiaco della Chiesa Mil.* P. 2. Ex dictis vero constat, Maternum sedisse ann. 52., a Martio anni 252. usque ad Julium anni 304. At Catalogus Ambr. habet, *sedit annos XII.:* corrige *LII.*

APPENDIX

HISTORIAE DACIANAE ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

AB OBITU S. MATERNI

SIVE AB ANNO 304

USQUE AD ORDINATIONEM S. AMBROSII

SIVE AD ANNUM 374.

CAPUT I.

S. MIROCLES.

Materno succedit Mirocles anno ipso 304. De eo meminit Ambrosius in Serm. de Basilic. Trad.: Absit ut tradam haereditatem Patrum, hoc est haereditatem Dionysii qui fidei causa in exilio mortuus est, haereditatem Eustorgii Confessoris, haereditatem Myroclis[1], atque omnium retro fidelium Episcoporum. *Etiam s. Ennodius Ticinensis Episcopus mentionem de eo facit, et genere illustri fuisse innuit. Sic enim Vitam s. Epiphanii Episcopi Ticinensis orditur:* Vir insignis Epiphanius oriundus Ticinensis oppidi indigena fuit, patre Mauro generatus, et matre Focaria editus, quae sancti etiam Mirocletis Confessoris et Episcopi tangebat prosapiam, hominibus ex liquido ingenuitatis fonte venientibus. Sed quid illorum retexam sanguinis praerogativam, quorum familiae et nobilitatis caput est filius *(Epiphanius)?*

§ 1.

EDICTUM MEDIOLANI

A Constantino Imp. editum pro libertate Ecclesiae.

Huic Episcopo exoptatissima felicitas obtigit ut et pacem libertatemque tandem Ecclesiae concessam videret, eamque decretis imperialibus Mediolani primum publicatis. Nam Constantinus, quum anno 312. *VI. Kal. Novembris, ostenso in coelis crucis signo, Maxentium prope Romam vicisset, compositis in urbe rebus, sequenti Januario anni scilc.* 313. *Mediolanum venit, quo et alter Imperator Licinius se contulit Constantiam sororem Constantini in uxorem ducturus. Hic igitur duo Augusti celebre Edictum condidere de libertate Ecclesiae, quod graece refertur ab Eusebio Hist. Eccl.* L. X., *latine autem a Lactantio Eusebii coaetaneo, De Mortib. Persecut.* cap. 48. *Est autem hujusmodi:* Cum feliciter tam

1 *Myroclis.* MSS. Codices habent alii *Metroclis,* alii *Miroclis* plures *Meroclis.* At vero MSS. Concilia Rom. et Arelatense, de quibus infra, semper exhibent *Merocles:* libri nostri Liturgici *Mirocles.* Qui vero edidit *Mudeles* evidenter erravit, iroc legens *ude* pro *iroc.* Casus autem secundus desinit sive in *Miroclis,* sive in Mirocletis, ut *Dioclis* et *Diocletis,* unde *Diocletianus.*

ego Constantinus Augustus, quam etiam ego Licinius Augustus, apud MEDIOLANVM convenissemus, atque universa, quae ad commoda et securitatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus, haec inter caetera, quae videbamus pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda esse credidimus, quibus Divinitatis reverentia continebatur; ut daremus et Christianis, et omnibus liberam potestatem sequendi religionem, quam quisque voluisset: quo quidem Divinitas in sede coelesti, nobis atque omnibus, qui sub potestate nostrâ sunt constituti, placata ac propitia possit existere. Itaque hoc consilio salubri ac rectissimâ ratione ineundum esse credidimus, ut nulli omninò facultatem abnegandam putaremus, qui vel observationi Christianorum, vel ei religioni mentem suam dederit, quam ipse sibi aptissimam esse sentiret; ut possit nobis summa Divinitas, cujus religioni liberis mentibus obsequimur, in omnibus solitum favorem suum benivolentiamque praestare. Quare scire Dicationem [1] tuam convenit, placuisse nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus, quae prius scriptis ad officium tuum datis super Christianorum nomine videbantur, nunc vere ac simpliciter unusquisque eorum, qui eamdem observandae religioni Christianorum gerunt voluntatem, citra ullam inquietudinem ac molestiam sui, idipsum observare contendant. Quae sollicitudini tuae plenissime significanda esse credidimus, quo scires, nos liberam atque absolutam colendae religionis suae facultatem hisdem Christianis dedisse. Quod cum hisdem a nobis indultum esse pervideas, intelligit Dicatio tua, etiam aliis religionis suae vel observantiae potestatem similiter apertam, et liberam pro quiete temporis nostri esse concessam; ut in colendo quod quisque delegerit, habeat liberam facultatem, quia (*nolumus detrahi*) honori, neque cuiquam religioni aliquid a nobis. Atque hoc insuper in personâ Christianorum statuendum esse censuimus, quod si eadem loca, ad quae antea convenire consueverant, de quibus etiam datis ad officium tuum litteris certa antheàc forma fuerat comprehensa, priore tempore aliqui vel à fisco nostro, vel ab alio quocumque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecuniâ, et sine ullâ pretii petitione, postpositâ omni frustratione atque ambiguitate, restituantur. Qui etiam dono fuerunt consecuti, eadem similiter hisdem Christianis quantocyus reddant: etiam vel hi qui emerunt, vel qui dono fuerunt consecuti, si petiverint de nostrâ benivolentiâ aliquid, Vicarium postulent, quo et ipsis per nostram clementiam consulatur. Quae omnia corpori Christianorum protinus per intercessionem tuam, ac sine morâ tradi oportebit. Et quoniam iidem Christiani non ea loca tantùm, ad quae convenire consueverunt, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus corporis eorum, id est, Ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia, ea omnia lege, quâ superiùs, comprehendimus, citra ullam prorsùs ambiguitatem vel controversiam hisdem Christianis, id est, corpori et conventiculis eorum reddi jubebis, supradictâ scilicet ratione servatâ, ut ii qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerint, indemnitatem de nostrâ benivolentiâ sperent. In quibus omnibus supradicto corpori Christianorum intercessionem tuam efficacissimam exhibere debebis, ut praeceptum nostrum quantocyus compleatur, quo etiam in hoc per clementiam nostram quieti publicae consulatur. Hactenùs fiet, ut sicut superius comprehensum est, divinus juxta nos favor, quem in tantis sumus rebus experti, per omne tempus prospere successibus nostris cum beatitudine nostrâ publica perseveret. Ut autem hujus sanctionis benivolentiae nostrae forma ad omnium possit pervenire notitiam, perlata programmate tuo haec scripta et ubique proponere, et ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut hujus benivolentiae nostrae sanctio latere non possit.

1 *Dicationem,* alii *Dignationem:* Praefectos provinciarum alloquitur.

§ 2.

Christianorum laetitia pro libertate adepta: ritus sacri solemniter peracti.

Ecce, restitutâ per orbem tranquilitate (*Lact.* c. 1.), profligata nuper Ecclesia rursum exsurgit et majore gloriâ templum Dei quod ab impiis fuerat eversum, misericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus principes qui tyrannorum nefaria et cruenta imperia resciderunt, humano generi providerunt; ut jam quasi discusso transacti temporis nubilo, mentes omnium pax jocunda et serena laetificat. Nunc post tantae tempestatis violentos turbines placidus aer et optata lux refulsit... Ubi sunt modo magnifica illa et clara per gentes, Joviorum et Herculiorum cognomina, quae primum a Diocletе ac Maximiano insolenter assumpta ac postmodum ad successores eorum translata, viluerunt? Nempe delevit ea Dominus et erasit de terra. Celebremus igitur triumphum Dei cum exsultatione, victoriam Domini cum laudibus, diurnis nocturnisque precibus celebremus: ut pacem confirmet in saeculum.

Loca cuncta (*Eusebius H. Eccl.* L. X. c. 1.) quae tyrannorum impietas paulo ante subruerat, tamquam ex diuturna ac pestifera labe reviviscere videbamus: templaque rursus a solo in immensam altitudinem erigi et longe majori cultu ac splendore quam illa quae prius eversa fuissent, nitescere. Literae quoque ad Episcopos ipsos nominatim scriptae sunt ab Imperatore, honores aucti et pecuniae donatae... Posthace votivum nobis ac desideratum spectaculum praebebatur, Dedicationum scilicet festivitas per singulas urbes et aedium orationis recens structarum consecrationes: episcoporum congregationes, et ab externis et longinquis regionibus conventus: populorum in populos mutua caritas, et membrorum Christi in una harmoniâ conjunctio. Una erat divini Spiritus virtus per universa commeans membra, una omnium anima, eadem alacritas fidei, unus omnium in laudando Deo concentus. Hinc Antistites integre et perfecte cerimonias, et divina sacrificia perficiebant: hinc divini augustique Ecclesiae ritus: hinc psalmodia, et divinarum scripturarum lectio: hinc sacra omnia et mystica ministeria, et Passionis Christi ineffabilia symbola [1]. Denique omnis aetas et sexus toto pectore precibus et gratiarum actionibus incumbens auctorem bonorum Deum venerabatur.

Ex his colligi potest qui fuerit tunc temporis Mediolanensis hujus Ecclesiae status, quaeque Episcopi Miroclis conditio et quae rituum et sacrarum aedium vel reparatio vel nova constitutio. Miroclis tamen superest dumtaxat Epigraphe quam s. Anatalonis Episcopi imagini adposuit quamque exhibui pag. 18. *cum subscriptione:* MIROCLES EPISCOPVS.

§ 3.

Concilio Romano et Arelatensi Mirocles interest.

Jam vero, pace christianis datâ aliud bellum inlatum est ab haereticis et schismaticis: contra quos Mediolanensis Episcopus inter primos ad defendendam fidem et Ecclesiae unitatem vocatus est. Ortum est enim schisma Donatistarum ad quod componendum Romae a Melchiade sive Milliade Pontif. Concilium coactum anno 313. *Episcoporum XIX., cui Mirocles inter praecipuos interfuit. Rem ex Optato Millevitano De Schismate Donatist.* L. 1. c. 23. *brevi complexam exhibeo. Donatistis petentibus ab Imperat. Constantino judices ex Gallia,* Constantinus pleno livore respondit: Petitis a me in saeculo judicium, cum ego

1 Scilicet Baptismum et Eucharistiae sacrificium.

ipse Christi *(per Ecclesiam)* judicium expectem. Et tamen dati sunt judices Maternus ex Agrippina civitate, Reticius ab Augustoduno civitate, Marinus Arelatensis. Ad urbem Romam ventum est ab his tribus Gallis et ab aliis quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustae in Laterano, Constantino IV. et Licinio III. Coss., VI. Nonas Octobris die, VI. Feria. Cum consedissent Miltiades episcopus urbis Romae et Reticius et Maternus et Marinus episcopi Gallicani: et Merocles a Mediolano, Florianus a Sinna, Zoticus a Quintiano, Stennius ab Arimino, Felix a Florentia Tuscorum, Gaudentius a Pisis, Constantius a Faventia, Proterius a Capua, Theophilus a Benevento, Sabinus a Terracina, Secundus a Praeneste, Felix a Tribus Tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Ursino, Donatianus a Foro Claudii. His decem et novem consedentibus episcopis, causa Donati et Caeciliani in medium missa est. A singulis in Donatum sunt hae sententiae latae...

Cum vero ab hac Synodo Donatistae ad Constantinum appellassent, indicta est alia Synodus Arelate in Galliis; quae habita est Kal. Aug. Coss. Volusiano et Anniano scilc. anno 314., Sylvestri Papae I. Constantini Aug. IX. Huic quoque Synodo Mirocles interfuit et subscripsit post Papae Legatos, hoc modo:

Merocles Episcopus, Severus Diaconus, de civitate Mediolanensi, Provincia Italia.

Pariter Epistolae quam Synodus ad Sylvestrum Papam misit pro confirmatione synodalium Actorum et Canonum etiam Mirocles inscriptus est:

Dilectissimo Papae Silvestro Marinus... Merocles... in Domino aeternam salutem.

§ 4.

Miroclis Obitus.

De Miroclis obitu haec ex Catalogo Ambrosiano habemus: Mirocles deposit. pr. Kl. dec. ad sem victorē. *Cui Catalogo consentit alter Metropolitanus:* Ses Mirocles depositus pridie Kl decebr. ad sem Victorem ad Corpus. *Ecclesia tamen Ambros. eum colit III. Nonas Decembris.*

Mirocli annos sedis XXII. assignat Catalogus Ambros.: attamen solum XII. cum Papebrochio assignandos censeo, annumque 315. ei fuisse emortualem, diem vero, ut jam dictum est, postremum Novembris.

Caput II.

S. EVSTORGIVS EPISCOPVS.

Eustorgius Mirocli successit, seditque annos XVII. juxta Catalogos Veteres, scilc. ab initio anni 316. usque ad annum 332.

De rebus ab eo gestis nihil ad nostram notitiam pervenit. Eum tamen praeclara laude ornarunt duo magni viri s. Ambrosius et s. Athanasius. Ille enim in Serm. de Basilicis Trad. *jam cit. eum appellat* Confessorem: *quo titulo tunc temporis illi soli decorabantur qui pro fide contra tyrannos vel contra haereticos intrepidi stantes aspera passi fuissent. Athanasius vero in Epistola ad Episcopos Ægypti et Lybiae scripta anno 356. monens eos ne scriptis Arianorum fidem adhiberent, ait:* Omnes zelo pro Domino ardete, singulique retinete Fidem quam a Patribus accepimus, quamque hi qui Nicaeae convenerunt, scriptis comprobavere, neque patiamini eos qui contra illam nova moliuntur. Nam etiamsi orthodoxiae verba forte protulerint, neque sic eorum sermonibus attendere velitis: etenim sicut vestimento ovium his verbis induti, intus ut Arius eadem sentiunt... Si itaque ab or-

thodoxis viris ea scripta proficiscerentur, qualia edita sunt [1] a magno et Confessore Hosio, et Maximino Episcopo Galliae (*Trevirorum*) vel a successore ejus (*s. Paulino*) vel a Philogonio et Eustathio Orientis (*Antiochiae*), vel a Julio et Liberio Episcopis Romae, vel a Cyriaco Mysiae vel a Pisto et Aristaeo Episcoporum Graeciae, vel a Silvestro et Protogene Daciae, vel a Leontio et Eupsychio Episcoporum Cappadociae, vel a Caeciliano Africae (scilc. *Carthaginis*) vel ab EVSTORGIO EPISCOPO ITALIAE (scilc. *Mediolani*) vel a Capitone Siciliae vel a Macario Hierusalem, vel ab Alexandro Constantinopolis, vel a Paederoto Heraclaeas, vel a magnis Meletio (*Sebastop.*), et Basilio (*Amasaeae*), et Longiano (*Neocaees*), et ab aliis Armeniae et Ponti, vel a Lupo et Amphione Ciliciae, vel a Jacobo et aliis Mesopotamiae, vel a nostro beato Alexandro aliisque similis sententiae: nullus in scriptis esset suspicioni locus. Etenim sine dolo et simplex est virorum apostolicorum modus.

Quo in loco animadvertendum est, Eustorgium numerari inter PRAECIPVOS SCRIPTORES ORTHODOXOS, eumque recenseri inter Patres praecipuos qui Synodae Nicenae anni 325. interfuerunt, licet ipse non interfuerit. Nam si excipias Maximinum et successorem ejus, Julium et Liberium, tum Capitonem, caeteri quidem magni illius Concilii partes fuerunt, uti videre est apud Labbaeum Acta Concil. *Iterum animadvertendum est, Athanasium hos episcopos nominare ordine aetatis inverso, incipiendo ab iis qui adhuc vivi erant, vel recentissime mortui, usque ad s. Alexandrum Episcopum Alexandriae defunctum vix absoluto Nicaeno Concilio, anno 326. His duabus animadversionibus confirmari potest conjectura et opinio, Eustorgium circa haec Nicaeni Concilii tempora sedisse Mediolani, ejusque locum chronologicum vere esse inter Miroclem et Protasium.*

Obiit Eustorgius anno 332. die 18. Septembris post annos XVI. menses IX. Catalogus Ambr. Eustorgius sedit annos XVII. depositus XIIII. Kal. Octobr. *Catalogus Metropolitanus addit:* depositus XIIII. Kl. Oct. in Ecclesia sua; *quae, quidem sub nomine ejusdem s. Eustorgii, una est ex Basilicis Mediolani antiquitate, monumentis, religione praecellentibus.*

Caput III.

S. PROTASIVS.

Protasius Eustorgio suffectus sedit annos 22. incompletos, ab Septembri anni 332. usque ad Novembris diem 24. anni 353.

Cum haeresis Ariana, favente Constantio Imp., audacior in dies fieret, Protasius invicta animi fortitudine fidem catholicam, et magnum athletam Athanasium defendit. Hunc enim Mediolani anno 346. excepit; ubi habito plurium Episcoporum Concilio, fides Nicaena confirmata est, et plenum Concilium ope Constantis Imp. expostulatum, quod sequenti anno habitum est Sardicae. Rem narrat ipse Athanasius in Apologia sua ad Constantium Imp.... Frater tuus Constans missis litteris me accivit: degebat autem Mediolani. Cumque pervenissem Mediolanum, multam ejus expertus sum humanitatem.... Nunquam tamen fratrem tuum solum vidi, nec me ille unquam solum est allocutus; sed semper comite Episcopo urbis in qua tunc degebam, aliisque qui tum forte aderant, ipsum adivi. Hujus rei testis est Crispinus Patavii Episcopus, Lucillus Veronae, et quia defunctus est PROTASIVS Episcopus Mediolani, potest etiam Eugenius tunc Magister testimonium reddere. Cumque in dicta urbe Mediolani versarer [2], Constans misit me in Gallias: ibi enim pater quoque Hosius venerat: ut

1 *οἷα ἂν ἐγεγόνει παρὰ τοῦ... qualia quidem facta sunt ab...* Alii Codices MSS. *οἷά ἐστι τὰ παρὰ... qualia sunt quae ab....*

2 *διάγοντα δέ με ἐν τῇ προειρημένῃ πόλει* quod indicat non parvam moram.

inde unâ Sardicam peteremus. *Toto anno Athanasius Mediolani moram traxit, quo tempore creditur instituendae etiam apud nos vitae monasticae auctorem fuisse, quod fecit et Romae et in Galliis.*

Sequenti anno 347. habitum Concilium OEcumenicum, seu Appendix Nicaeni, Sardicae in Dacia, Illyrii provincia, Episcoporum circiter 170. Inter praestantiores habebatur Protasius noster, cujus subscriptio in Actis Concilii reperitur hoc modo:

Protasius ab Italia de Mediolano.

Item Protasius reperitur subscriptus Epistolae ab hac Sardicensi Synodo ad Iulium Papam scriptae.

Confecto Sardicae Concilio, aliud eodem anno celebratum est Mediolani, in quo Occidentalibus nota facta sunt decreta Synodi Sardicensis, tum damnatus est Photinus Episcopus Metropolitanus Sirmii: et duo Arianorum coryphaei Valens et Ursacius poenitentiam scripto rogantes in Ecclesiae communionem recepti sunt. Haec autem, *inquit s. Hilarius Pictav. in Fragmento De Synodis*, per id temporis facta sunt, cum Mediolani Synodus in consessum ibat, praesentibus etiam Romanae Ecclesiae Presbyteris, *sive Legatis.*

De annis sedis ejus et de obitu Catalogus Ambr.: Protasius sedit annos XXII. Depos. VIII. Kal. Decembr. ad sem Victorem. *Metropolit. addit:* ad sem Victorem ad Corpus. *Dies autem obitus seu potius Depositionis fuit 24. Novembris, quo die ab Ecclesia Ambros. adhuc colitur. De quodam Carmine s. Protasii in consecratione Fontis vide pag. 20. nota 2.*

Caput IV.

S. DIONYSIVS EPISCOPVS.

Anno 353. defuncto Protasio ad Mediolanensem Sedem evectus est s. Dionysius, vixitque in episcopatu, juxta veteres Catalogos, annis XIV., quorum duos transegit Mediolani, duodecim vero in exilio.

§ 1.

S. Dionysii constantia pro fide in Concilio Mediol. anni 355.

Dionysius inter celeberrimos pro fide Nicaena athletas numeratur; ejusque virtus in Concilio Mediolanensi contra Constantium Imperatorem Arianae factionis acerrimum propugnatorem excelluit. Rem nobis exhibet Athanasius in Historia Arianor. ad Monachos sive Solitarios. N. 31.

Constantius cum Mediolanum advenisset, ibi ex haereticorum consilio et cohortationibus omnia agebantur: imo potius ipsi res gerebant, acceptaque potestate irruebant in omnes... sed dum putant plurimis ejus operâ insidias parare, non advertunt sane multos se efficere Confessores. E quorum numero sunt qui jam splendidam edidere confessionem, viri religiosi et episcopi strenui, Paulinus episcopus Trevirorum metropoleos Galliarum et Lucifer episcopus metropoleos Sardiniae, Eusebius Vercellarum Italiae, et Dionysius episcopus Mediolani; est autem et ipsa metropolis Italiae. Hos Imperator cum advocavisset, jussit ut contra Athanasium subscriberent et cum haereticis communicarent. Stupuere illi rei insolentiam ac dixerunt: Non est haec ecclesiastica norma. Ille statim: at, inquit, quod volo ego, id pro norma accipiatur: ita enim qui in Syria dicuntur episcopi, quando ego loquor, assentiuntur. Itaque aut obbedite, aut vos quoque ad exilium damnabimini.

Haec cum audissent Episcopi, summopere mirari et manus ad Deum tendere, et multa libertate contra illum loqui: docere non ejus esse imperium sed Dei qui tradidit illi, rogare ut timeret eum ne de repente datum auferret, minari judicii diem et suadere ne ecclesiasticas res pessumdaret: neve Romanum imperium cum ecclesiasticis statutis commisceret vel Arianam haeresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verum Imperator neque audivit eos, neque plura dicere ipsos passus est: imo acrius minitabatur, et evaginavit gladium contra illos et jussit aliquos ex ipsis adduci ad supplicium, sed postea, ut Pharao, sententiam mutavit (*exilio*).

At vero sancti illi excusserunt pulverem et ad Deum erectis oculis neque minas Imperatoris reformidarunt, neque gladii intentati metu veritatem prodidere; sed exilium velut officium ministerii sui acceperunt. Transeuntes enim per loca et urbes, quamvis vinculis ligati, evangelium praedicabant, annunciantes fidem piam, et haeresim arianam anathemate damnantes; eorumque commigratio fuit praeconium adversus arianorum impietatem. Quis enim videns illos pertranseuntes non admiratus est eos veluti Confessores, istos vero non aversatus execratusque est velut impios, imo velut carnifices et homicidas?

Sed ut aliqua specialim de Dionysio congeram, haec ex historicis synchronis habeto. Cum in Concilio Mediolanensi episcopi collecti essent et Constantius Imp. damnationem Athanasii urgeret, Eusebius Episc. Vercellensis dixit, prius inquirendum esse an omnes ii episcopi in fide rectâ convenirent, omnesque debere fidem Nicaenam subscribendo prius profiteri: ita Hilarius [1], *qui sic pergit: tum* Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit: ubi profiteri scribendo coepit, Valens (*episcopus arianus*) calamum et chartam e manibus ejus violenter extorsit, clamans non posse fieri ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est. Gravis omnium dolor ortus est, impugnatam esse a sacerdotibus (*arianis*) fidem. Verentes igitur illi populi (*mediolanensis*) judicium e Dominico (*templo*) ad palatium transeunt.

Valens et Ursacius (*ariani, sic caetera exponit Severus Sulpitius*) caeterique, metu plebis quae catholicam fidem egregio studio conservabat, non ausi piacula [2] profiteri, inter palatium congregantur. Illinc Epistolam sub Imperatoris nomine emittunt omni pravitate refertam. Igitur lectam in Ecclesia epistolam populus aversatur: Dionysius quia non esset assensus, urbe pellitur, statimque ejus in locum episcopus subrogatur *Auxentius arianus.*

At [3] nunc fructus operum tuorum, *Imperator Constanti*, lupe rapax audi. Neque ego alia potius quam quae gesta sunt in Ecclesia refero, aut tyrannidem aliam praeter quam in Deum proferam. Tu Paulinum beatae passionis virum, blandimento sollicitatum, relegasti, et Ecclesiam Trevirensem tali sacerdote spoliasti: ipsum usque ad mortem demutasti exiliis et fastigasti.... Mediolanensem piissimam plebem, quanto furoris tui terrore turbasti! Tribuni tui adierunt sancta sanctorum et viam sibi per populum crudelitate pandentes, protraxerunt de altari sacerdotes. Levius te putas, scelestе, Judaeorum impietate peccasse? Effuderunt quidem illi Zachariae sanguinem: sed, quantum in te est, concorporatos [4] Christo a Christo discidisti.

1 Lib. 1. ad Constantium Augustum, n. 8.

2 Id est doctrinam impiam coram populo profiteri.

3 S. Hilarii Episcopi Liber contra Constantium Imp. n. XI. et seq.

4 Optatus L. VI.: *altare sedes est corporis et sanguinis Christi. Hoc modo Judaeos estis imitati. Illi injecerunt manus Christo in cruce: a vobis percussus est in altari.*

§ 2.

EPISTOLA LIBERII PAPAE 1

Eusebio, DIONYSIO, et Lucifero in exilio constitutis.

1. Quamvis sub imagine pacis, humani generis inimicus vehementius in membra Ecclesiae videatur esse grassatus; vos tamen, acceptissimi in Domino Sacerdotes, egregia et singularis fides et hîc probabiles Deo ostendit, et jam at futuram gloriam martyres designavit. Quo itaque praeconío laudis, qua vocis exsultatione merita virtutis vestrae proferam, positus inter moerorem absentiae vestrae et gaudium gloriae, prorsus invenire non possum: nisi quod scio hinc me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me in exsilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa exspectatione pendentem quod a consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaveram enim, Fratres devotissimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exemplum gloriae per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit haec palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis inlustrem gloriam veneritis. Quaeso igitur dilectionem vestram, ut me praesentem vobiscum esse credatis, atque eo me affectu absentem non esse sentiatis, et intelligatis dolere me satis, quod sim interim a vestro consortio separatus. Quantam denique gloriam fueritis consequuti, hinc magis scire potestis, quod si qui in persecutione coronati sunt, solius persecutoris cruentos gladios sentire potuerunt: contra vos, devoti per omnia Deì milites, etiam falsos fratres inimicos experti, de perfidis victoriam pertulistis: quorum quanto in saeculo violentia increscere potuit, tanto sanctis sacerdotibus praemia laudis inveniuntur conferre. Estote igitur de promissione coelesti securi.

2. Et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem famulum Dei ad Dominum sublevate: ut supervenientes impetus, qui de die in diem, cum annuntiantur, graviora vulnera infligunt tolerabiliter ferre possim; ut inviolata fide, salvo statu Ecclesiae catholicae, parem vobis dignetur me Dominus efficere. Et quia cupio quae gesta sunt in ipsa congressione, fidelius scire; obsecro sanctitatem vestram, ut universa fideliter litteris intimare dignemini: ut additamentum majus vel ipse animus, qui diversis rumoribus cruciatur, vel vires corporis ipsius, quae jam extenuatae sunt, de cohortatione vestra possint sentire: *et alia manu*, Deus vos incolumes custodiat, Domini Fratres.

§ 3.

De s. Dionysii Exilio.

De Dionysii vero et Eusebii exilio haec scripsit s. Ambrosius Epist. 63. *ad Vercellensem Ecclesiam.* Pro fide exilii dura praeoptavit atque elegit (*Eusebius*) conjuncto sibi sanctae memoriae Dionysio qui posthabuit Imperatoris amicitiam exilio voluntario. Itaque memorabiles viri circumdati armis, vallati exercitu, cum raperentur de Ecclesia Majore, triumphabant de Imperio: quia contumelia terrestri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam: quibus militaris manus, armorum strepitus extorquere non potuit fidem, subegerunt bestialis animi feritatem, quae nocere sanctis nequivit. *Ira enim regis ira leonis,* ut in Proverbiis habes. Confessus est victum se esse, qui rogabat ut mutarent sententiam. Sed illi validiorem calamum suum ferreis gladiis arbitrabantur. Denique vulnerata est perfidia, ut occideret, non est vulnerata Sanctorum fides.

1 Ex s. Hilarii Opere historico Fragmentum VI.

Non desiderarunt patrium sepulchrum, quibus reservabatur coeleste domicilium. Erraverunt toto orbe, ut nihil habentes, et possidentes omnia. Quocumque missi essent, locus deliciarum putabatur. Neque enim illis quicquam deerat, quibus fides locuples abundabat. Denique locupletabant alios ipsi inopes ad sumptum, opimi ad gratiam. Tentabantur, sed non mortificabantur, in jejuniis, in laboribus, in custodiis, in vigiliis. Evaserunt de infirmitate fortes. Non expectabant deliciarum illecebras, quos saginabat fames: non adurebat eos torrida aestas, quos refrigerabat aeternae spes gratiae: non frangebant glacialis plagae frigida, quibus ferventi spiritu vernabat devotio: non verebantur vincula hominum, quos Jesus solverat: non desiderabant redimi a morte, qui praesumebant a Christo resuscitari. Denique s. Dionysius exegit votis, ut in exilio vitam poneret; ne regressus confusa institutis, seu usu infidelium studia plebis, aut cleri inveniret; meruitque hanc gratiam, ut pacem Domini tranquillo affectu secum referret. Itaque ut Eusebius sanctus prior levavit vexillum confessionis: ita beatus Dionysius in exilii locis propiori martyribus titulo vitam exhalavit.

§ 4.

Colloquium Liberii Episcopi Romani et Imperatoris Constantii habitum Mediolani, anno 355. [1]

Liberius violenter noctu e Roma abstractus est et Mediolanum adductus. Cui Constantius Imperator dixit: Nos te, quoniam et Christianus es, et Episcopus nostrae civitatis, idcirco *(Mediolanum)* advocandum duximus, et admonendum, ut communionem Athanasii dementis, impii, nefarii abjicias. Id enim aequum esse universus orbis censuit, eumque ab Ecclesiastica communione alienum esse synodali sententiâ decrevit.

Liberius Episcopus dixit: Judicia ecclesiastica, o Imperator, summa cum aequitate fieri debent. Quare si placet pietati tuae, judicium constitui jube. Et si quidem Athanasius condemnatione dignus videbitur, tunc juxta Ecclesiastici ordinis formam, in illum sententia proferetur. Neque enim a nobis condemnari potest vir quem non judicavimus.

Constantius: Totus orbis de ejus impietate sententiam tulit; ast ille, sicut a primis temporibus, omnes illudit.

Liberius: Quicumque contra illum subscripserunt, res gestas ipsi non viderant; sed ducti inani gloria, et metu, atque ignominiâ apud te incurrendâ, subscripserunt.

Imperator: Quaenam est haec gloria? quis metus? quae ignominia?

Liberius: Quicumque non diligunt gloriam Dei, ii tua munera anteponentes, eum quem ipsi non viderant, nec judicaverant, condemnarunt: quod alienum est a Christianis.

Imperator: Atqui praesens judicatus est in concilio Tyri: et omnes totius orbis Episcopi eum in concilio damnarunt.

Liberius: Numquam ille praesens judicatus est. Quotquot enim eo tempore Tyri congregati Athanasium damnarunt, ii postquam e judicio discesserat, eum condemnarunt, absque ratione.

(*Eusebius Eunuchus* dixit: In Concilio Nicaeno Athanasius a catholica fide alienus demonstratus est.)

Lib.: [2] Quinque soli (*in Syn. Tyri*) judicarunt, ii qui cum Ischyra navigarunt in Mareotem:

1 Ex L. 2. c. 16. Hist. Eccles. Theodoreti Episc. Cyri saeculo V. scribentis.

2 Eunuchus iste stolide locutus est; nam in Conc. Nicaeno, cui Athanasius interfuerat diaconus, nihil contra illum actum est. Itaque Liberius ad Eunuchum ne attendit quidem.

quos quidem illa Synodus miserat, ut adversus Athanasium acta conficerent. Ex iis qui tunc eo missi fuerant, duo ex hac luce migrarunt, Theognius scilicet ac Theodorus: reliqui tres adhuc superstites sunt, Maris, Valens et Ursacius. Contra hos, qui missi erant in Marcotem, in Concilio Sardicae ob hoc ipsum negotium lata est sententia damnationis. Qui postea in Synodo (*Romae et Mediolani*) libellos obtulerunt, veniam poscentes ob acta, quae per calumniam, altera duntaxat parte praesente, adversus Athanasium in Marcote confecerant. Quos quidem libellos nunc in manibus habemus. Utris horum assentiri, et communicare debemus, Imperator? Istisne, qui prius Athanasium condemnarunt, et postea veniam petierunt? an illis qui nuper istos condemnarunt?

Epictetus Episcopus dixit: Liberius non zelo fidei, nec pro defensione judiciorum Ecclesiasticorum verba facit, o Imperator, sed ut apud Romanae Urbis senatores glorietur, se Imperatorem superavisse.

Imperator Liberio dixit: Quantam mundi partem te aestimas, ut tu solus homini impio suffragari velis, et orbis Romani ac totius mundi pacem dissolvas?

Liberius: Etiamsi solus fuerim, fidei causa non idcirco minuitur. Nam et olim tres tantum reperti sunt, qui regis mandato resisterent.

Eusebius Eunuchus: Imperatorem nostrum reputas Nabuchodonosorem.

Liberius: Nequaquam. Sed tu temere hominem condemnas, de quo non judicavimus. Ego vero postulo, ut primum quidem generalis praecedat subscriptio, quae fidem Nicaeae expositam confirmet: deinde ut revocatis ab exilio fratribus nostris, et in sedes suas restitutis, si ii qui tumultus in Ecclesia nunc excitant, Apostolicae fidei consentire visi fuerint, tunc universi Alexandriam convenientes, ubi et accusatus ipse, et accusatores sunt, et defensor eorum, examinato illorum negotio, concordem sententiam proferamus.

Epictetus Episcopus dixit: Verum currus aerarii publici haudquaquam sufficient subvehendis Episcopis.

Liberius: Ecclesiastica negotia non indigent curribus publici aerarii. Ecclesiae enim singulae Episcopos suos ad mare usque perducere suis sumptibus facile possunt.

Imperator: Quae formam judicii jam exceperc, ea resolvi amplius non possunt. Valere enim debet plurium Episcoporum sententia. Tu solus es, qui impii illius amicitiam retineas.

Liberius: Numquam audivimus, Imperator, absenti reo a judice impietatem objectam esse, quasi privatas inimicitias cum eo gerat.

Imperator: Omnes quidem Athanasius in commune affecit injuria: neminem tamen aeque ac me. Qui non contentus exitio fratris mei majoris natu, etiam Constantem ad suscipiendas mecum inimicitias incitare numquam destitit; nisi nos majori mansuetudine, et incitantis, et incitati impetum pertulissemus. Nullam itaque victoriam tanti facio, ne illam quidem quam de Magnentio retuli, ac de Sylvano, quanti ut hunc sceleratum ab Ecclesiae administratione submoveam.

Liberius [1]: Noli, Imperator, inimicitias tuas per Episcopos vindicare. Ecclesiasticorum enim manus ad benedicendum ac sanctificandum vacare debent. Jube igitur si placet, ut Episcopi ad proprias sedes revocentur, ac si quidem visi fuerint consentire cum illo qui rectam fidem Nicaeae olim expositam nunc tuetur, tunc in unum convenientes paci orbis terrarum provideant, ne virum innocentem sententia infami percussum esse comprobetur.

1 Manifestis calumniis jam ab ipso Athanasio in *Apologia sua ad Constantium* explosis Liberius non respondet: sed dato etiam quod verae essent accusationes, respondet non debere Imperatorem injurias et inimicitias suas vindicare per episcopos.

Imperator: Unum est quod quaeritur. Te namque, ubi Ecclesiarum communionem fueris amplexus, Romam remittere volo. Assentire igitur paci, et subscribe, atque ita Romam revertere.

Liberius: Fratribus qui Romae sunt jam vale dixi. Potiores enim sunt Ecclesiasticae leges quam domicilium Romae.

Imperator: Ergo trium dierum spatium habes ad deliberandum utrum subscribens Romam redire velis, aut ad cogitandum, quem in locum cupias deportari.

Liberius dixit: Trium dierum aut mensium intervallum non mutat sententiam. Itaque mitte me quo voles.

Biduo post Imperator cum Liberium accivisset, atque is de sententia non decederet, eum Boeraeam Thraciae relegari praecepit. Cumque egressus esset Liberius, Imperator quingentos ei solidos misit ad sumptus faciendos.

Liberius vero dixit ei qui attulerat: Abi. Redde hoc Imperatori. Opus enim his habet, ut praebeat militibus suis.

Similiter Imperatrix totidem ei solidos misit.

Liberius dixit: Redde hos Imperatori. Hisce enim opus habet ad stipendium militum. Quod si Imperator his opus non habet, det eos Auxentio et Epicteto: His enim illi opus habent.

Cum igitur ab his noluisset accipere, Eusebius Eunuchus alios ei attulit.

Cui *Liberius* dixit: Ecclesias orbis terrarum vacuas ac desertas fecisti; et mihi tamquam noxio eleemosynam adfers. Abi, et prius Christianus fias.

Et post triduum, nulla accepta pecunia, in exilium relegatus est.

§ 5.

De s. Dionysii Morte et Reliquiis.

S. Dionysius, si fides Catalogis vetustis est, vixit in episcopatu annos XIV. quorum XII. in exilio Cappadociae, ubi et defunctus est. Cumque anno 374. *s. Ambrosius Mediolanensium episcopus constitutus fuisset, statim clericos misit expostulatum corpus s. Dionysii a magno Basilio Episcopo Caesaraeae Cappadociae. Basilius corpus remisit, addiditque Epistolam quae est* 197. *Edit. PP. Maurinor.:*... Tua autem sollicitudo et ardor honorandi beatissimum Dionysium episcopum omnem in te esse testatur amorem erga Deum, reverentiam in antecessores, studium circa fidem. Animi enim affectio erga fideles conservos refertur ad dominum cui servierunt: et qui honorat illos qui pro fide certantes passi sunt, manifeste idem fidei zelum habet; ita ut haec una actio multiplicis virtutis testimonium sit.... Reliquias tanto cum gaudio suscipite, quanto moerore prosequti sunt ii qui eas custodiebant. Nemo dubitet, nemo disputet: hic est ille invictus athleta[1]: haec ejus ossa, quae cognoscit Dominus, quaeque unâ cum beatâ animâ certantia, passa sunt: haec unâ cum illa coronabit in die justae remunerationis ipsius. Una erat arca quae venerandum illud corpus excepit: nullus prope ipsum jacuit. Sepulchrum ejus gloriosum fuit: illique martyris honores delati sunt... *Reliquiae s. Dionysii una cum iis s. Aurelii prius conditae fuerunt in Ecclesia sua extra Portam Orientalem quae ab Hariberto Archiep. saeculo XI. noviter aedificata et monasterio aucta. Ea vero, in aedificatione moenium urbis, anno* 1533., *ab Hispanis destructâ, Reliquiae in Metropolitanam translatae sunt et demum a s. Carolo in subterraneo ejusdem reconditae sacello.*

1 ὅυτος ἐστιν ἐκεῖνος ὁ ἄηττητος ἀθλητής.

De s. Dionysio extat Hymnus XII. S. Ennodii Episcopi Papiensis cujus flores praecipuos legere juvat.

Dionysio Christus dedit
Quot bella tot victorias.
Exul, piorum civis est,
Urbis supernae particeps.
Constantius Vatem [1] loco
Quondam tyrannus expulit:
Non cessit iste turbido;
Crevit periculis fides...
O quam beata adversitas!
Sic sic triumphant exules!
Nihil verendo martyre
Confessor ille distitit... [2]
Risit furorem Principis:
Fide manente cursitans,
Fixus, per orbem ducitur
Quâ sol coruscat acrior
Negans bibendi copiam... [3]

Expulso Dionysio constitutus est ab Imperatore Episcopus Arianus Auxentius, Cappadox qui, *ut ait s. Ambr. Lib. 3. de Sp. S. c.* 11. Mediolanensem Ecclesiam armis exercituque occupaverat, *homo* impiae infidelitatis, falsum et sacrilegum simulacrum *episcopi. Athanasius vero Epist. ad Monachos sive Solitarios,* n. 74. Ex locis peregrinis, Imperator episcopos militibus stipatos ad populos invitos mittit: illi vero loco commendationis apud populos, ferunt minas et litteras ad Judices. Ita Auxentium quemdam, delatorem [4] potius quam christianum ex Cappadocia Mediolanum transmisit, eumque urbi imposuit, hominem neque linguae latinae scientem sed solum impietatis.

Viri tamen pietate et scientia illustres ad populum Mediolanensem in fide contra Auxentii pravitatem confirmandum adfuerunt, s. Hilarius Pictaviensis, tum s. Martinus Turonensis, demum s. Eusebius Vercellarum ab exilio reversus.

At vero Auxentio post XX. annos sedis mortuo, singulari Dei beneficio anno 374., *mense Decembri nobis donatus est Episcopus Ambrosius:* quo Mediolani constituto, omnis, *ut inquit Hieronymus,* ad rectam fidem Italia convertitur.

1 *Vatem* scilc. Episcopum.

2 Dionysius Confessor meritis non distare a reverendis martyribus credendus est.

3 Est et alius Hymnus quem canit Ecclesia Ambrosiana a Beroldo saec. XI. compositus: *Regi polorum debitas.*

4 φιλοπράγμονα: antiqua versio, *delatorem* vertit; proprie *azzecagarbuglii.*

HOMILIA SIVE SERMO

VENERABILIS BEDAE PRESBYTERI ANGLI.

In Natali s. Barnabae Apostoli

Ex Bonino Mombritio, servata plerumque orthographia vetusti Codicis. Vide retro pag. XLIII. *n.* VI.

ADMONITIO

qua idem Sermo Bedae adseritur.

1. *Sermo hic non a cive mediolanensi compositus fuit, uti Papebrochius suspicatus est. Loquens enim de Mediolano dicit:* Barnabas illuc festinare disposuit. *Jam vero adverbium* illuc *indicat Auctorem longe a Mediolano scripsisse.*

2. *Convenit aetas Bedae cum hoc Sermone. Nam Beda vita functus est saeculo VIII. anno* 735. : *Sermo autem tunc scriptus dictusque est quum festum s. Barnabae primo celebrari coepit. Dicit enim*: Ergo si sanctorum Apostolorum natalitia celebramus, dignum equidem atque salutare videtur ut Barnabae solemnitatem celebremus: quoniam quidem etsi non est in ordine duodenario appellatus eorum, non tamen deest catalogo praedicationis excellentia miraculorum ..., cum ipso Paulo ad apostolatus ordinem atque celsitudinem et praedicationem divinitus electus est ..., *Vides igitur festum hoc tunc novissimum fuisse. Jam vero ex omnibus memoriis constat, cultum festumque s. Barnabae in Ecclesia Latina saec. VIII. ineunte institutum esse* [1].

3. *Immo ex Homiliae verbis rite deducitur, Auctorem Homiliae cultum festumque s. Barnabae primum in Ecclesia Latina introduxisse. Etenim n.* 1, *et n.* 8. *congerit argumenta quibus probet debuisse hoc festum aeque ac ceterorum Apostolorum institui: tum hortatur fratres ut festum hoc celebrent,* dignum videtur ut Barnabae solemnitatem celebremus. *Nec solum festum, sed et notitias de vita et martyrio Barnabae primum se divulgare declarat, dicens:* qualiter vir iste Domini Barnabas praedicando et ... sustinendo certaverit ac ad palmam pervenerit, fida relatione pandere curamus. *Quo verbo* PANDERE *toto hoc Sermone significatur* revelare, res nondum notas proferre [2]. *Item sub n.* 10.: quo ordine ad martyrii coronam pervenerit ex graeco ... transferentes fideliter declaremus. *Ex* GRAECO, *inquit: nondum enim latina Versio, nec notitia de hac Passione habebatur. Atqui primus qui et notitias de Barnaba publicavit et cultum in Ecclesia Latina introduxit fuit Beda, utpote qui primus Barnabam Martyrologio inseruit, sicut demonstratur a Solerio in Notis ad Martyrologium Usuardi* Acta SS. Bollandi, T. VI. Junii. pag. 330. *Nec Beda Martyrologio inseruisset nisi Acta Passionis Barnabae invenisset. Ipse enim Beda testatur* [3]: martyrologium de Natalitiis sanctorum Martyrum, diebus in quo omnes, quos invenire potui, quo genere certaminis, vel sub quo judice, mundum vicerint, diligenter annotare studui. *Itaque, si Auctor Sermonis fuit ille qui primus et festum et notitias de Barnaba divulgavit; primus autem fuit Beda: Beda hujus Sermonis auctor censendus est.*

4. *Atque hoc quidem ex Sermone ipso simul et ex testimoniis veterum constat. Sermo enim, narratis Barnabae praedicationibus in Asia, Romae, Mediolani, pergit dicens:* Quo autem ordine ad martyrii coronam Barnabas pervenerit, ex graeco eloquio praedicti Joannis exadelphi ejus transferentes, sensum magis quam verba sequentes, fideliter declaremus. *Sequitur haec Versio Actorum graecorum Passionis ex Joanne Marco, paulo liberior. Haec est autem illa Versio* Passionis Barnabae *quae ab omnibus latinis Ecclesiis excepta jam saeculo VIII. ubique obtinebat* [4]. *Eâ ipsâ usus est saeculo XI. Odericus Vitalis, monachus anglus sua in Hist. Eccl.; quod quidem magni momenti est ad rem. Eâ Mediolanensis Ecclesia sicut con-*

1 Consule Papebroch. Acta SS. Bollandi, XI. Junii: Mazzoech. Kalend. Neapolit. x. Junii, cap. VI: tum Dissertat. III. meam pag. XLVI.

2 Ita sub N. 10. *quae vidi fideliter pando, tum secreta Dei pandere,* N. 11. *quod (angelicam visionem) cum panderet.*

3 Bedas ipse in calce suae *Hist. Eccl.*

4 Mazzocchi, Kalend. Neapolit. x. Junii cap. II. § II.

stat ex Bonino Mombritio: eâ Neapolitana ubi illa per bibliothecas proseminata visebatur, *referente Mazzocchio loco cit. Jam vero hanc Versionem factam fuisse saeculo VIII. pluribus ibi demonstrat idem Mazzocchius; factam autem a Beda veteres nobis tradidere. Hoc enim dicit antiquus Codex MSStus Bibliothecae s. Joannis ad Carbonaram continens Vitas Sanctorum, teste Mazzocchio loco cit. nota* 199.; *hoc jam ab annis sexcentis Jacobus a Voragine episcopus Genuensis in Barnabae Vita. Quare Beda translator* Passionis Barnabae *judicandus est et auctor Sermonis cui haec* Passio *latine versa intexta est et cujus causâ Versio ipsa est facta.*

5. *Hic Sermo passim consonat cum iis quae Beda de Barnaba dicit sua in* Expositione Actuum Apostolorum: *quae in Notis sub oculis ponam. Ex quibus evidenter patebit, Auctorem hujus Homiliae sive Sermonis eumdem esse ac Bedam Expositorem Actuum Apostol.*

6. *Demum stylus, indoles orationis, animadversiones, usus excerpendi pleraque ex Patribus, omnia Bedæ conveniunt. Itaque* Sermo *jam a saec. IX.* legebatur *publice* in Natali s. Barnabae. *Vide pag.* XLIII. *n.* VI.

1. Redemptor et Salvator noster Dominus Jesus Chrystus antequam de interitu Sathanae triumphans victor, et exultans penetraret regna polorum: sanctam Ecclesiam quam pretioso sanguine acquisivit per beatos Apostolos et apostolicos viros immobiliter muniens fundavit: et mirabiliter corroborans solidavit. Scilicet ut et ipsa inviolata semper et gloriosa maneret, et illorum praedicatione novam sibi progeniem plurimosque filios aggregaret 1. E quorum consortio et collegio aestans beatissimus Barnabas, tanta devotione pro ipso decertare studuit, quanta divinitus per Spiritus Sancti gratiam cum beato Paulo Apostolo ad apostolatus gloriam vocatum se esse cognovit. Ergo cum sanctorum Apostolorum natalitia celebramus: dignum equidem atque salutare videtur ut ejus solemnitatem devotissime celebremus 2. Quoniam quidem et si non est in ordine duodenario appellatus eorum: non tamen deest cathalogo praedicationis excellentia miraculorum, quae cum beato Paulo sicut Lucas evangelista refert in Actibus Apostolorum mirabiliter patravit a tempore videlicet, quo per invocationem et gratiam Spiritus Sancti tertiodecimo post Domini passionem anno 3 cum ipso Paulo ad apostolatus ordinem atque celsitudinem et praedicationem divinitus electus est, vocante illos eodem Spiritu Sancto, et dicente: Segregate mihi Barnabam, et Paulum in opus: quo assumpsi eos. Sed qualiter vir iste domini Barnabas devotissime fidem catholicam praedicando et corda infidelium ab errore iniquitatis redimendo, opprobria et contumelias pro Chrysti amore sustinendo certaverit, ac deinde per martyrii gloriam ad paradisi palmam pervenerit, per autenticam seriem et auctoritatem praefati Lucae evangelistae et Joannis cognomento Marci discipuli atque exadelphi ejus gradientes, fida relatione pandere curamus.

2. Denique 4 iste est ille Barnabas sanctissimus, qui et Joseph dictus, unus ex septuaginta discipulis Domini Salvatoris 5, qui secundum nominis sui presagium dignitatem promeruit. Nam Barnabas haebraice: latine autem filius consolationis dicitur, communiter cum sanctis apostolis degebat, et consolationem maximam prebebat eis: in quibus videlicet erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et quotquot possessores erant agrorum aut domorum vendentes pretia eorum afferebant, et ad pedes discipulorum ponebant. Sic et enim scriptum est: Joseph autem qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis quod est interpretatum filius consolationis levites cyprius genere cum haberet agrum: vendidit illum, et attulit pretium, et posuit ad pedes Apostolorum.

3. Postmodum vero cum beatus Paulus conversus fuisset ad fidei gratiam eodem anno, quo Dominus passus est, et resurrexit 6: iste Barnabas in ipso initio fidei ejus, illum apprehendere

1 Confer initium hujus Sermonis cum initio capitis II. Datianae hujus Hist.

2 Ergo festum s. Barnabae novum erat et tunc primo introductum.

3 Beda in Act. Apostolor. cap. XIII. *Videtur Saulus juxta ordinem historiae, tertiodecimo post Domini passionem anno, apostolatum cum Barnaba accepisse. Quartodecimo autem anno ad gentium magisterium profectum est.*

4 *Denique:* haec vox initio narrationis valet *certe, plane:* hoc sensu saepe est in Pandectis; hoc sensu et n. 10. sequenti: *denique cum essem ethnicus.*

5 Beda in suis *Retractationibus in Act. Apostolor.* retractat hanc opinionem: confitetur tamen, Eusebium in Hist. Eccl. eam tenere, etc.

6 Beda in c. XV. Act. Apost. *Paulus eodem anno quo Dominus passus est et resurrexit, ad fidem venisse probatur.*

dignus fuit, et ducere ad Apostolos. Unde et sequitur: Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, et narravit illis: quo modo in via vidisset Dominum, et locutus est ei et quomodo in Damascho fiducialiter egerit in Domino Jesu. Plane diligenter considerare et ammirari condecet: quantum illum divina gratia dilectum quantumque amabilem atque dignum habuit, quando inter tot discipulorum catervas non alium ad instruendum et docendum suum novum militem miserit: nisi illum qui consolationis filius dicebatur, scilicet ut illi Saulo qui novus tyro novamque tyrocinii gratiam perceperat dulcem sanctae Fidei gratiam dulceque mysterium sagaciter ministraret. Cuique dante gratiam Deo, dare quem non poenitet unquam 1: quantum ejus instructio in novum Christi militem fructificaverit: quantumque inter sanctos Apostolos gloriosus enituerit repletus Spiritu Sancto: audiamus. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiae quae erat Hierosolymis super istis, et miserunt Barnabam Antiochiam, qui cum venisset et vidisset gratiam Dei, gavisus est valde, et hortabatur omnes manere in Domino: quia erat vir bonus et plenus Spiritu Sancto et fide, et apposita est multa turba in Domino. Nonne quia illum cognoverant sancti Dei Apostoli esse virum bonum: sed quod gloriosius est atque beatius, plenum Spiritu Sancto: ideo illum ad praedicandum mittere studuerunt: ideoque ei Sanctus Spiritus turbam multam subjicere atque ad cognitionem Domini nostri Jesu Christi mirabiliter perducere dignatus est? Sed quia non solummodo istos Domino acquirere cupiebat: ne novum tyronem oblivioni traderet, inhianti studio illum sibi comitem ad praedicandum summere studens profectus est, inquit evangelista, Tharsum, ut quaereret Saulum, quem cum invenisset, perduxit Antiochiam, et annum totum conversatus est cum eo in Ecclesia, et docuerunt turbam multam: ita ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli chrystiani.

4. Verum quia non tantum modo in praedicationis gratia, sed etiam in hospitalitatis misericordia benignus exstiterat, cum sancti Apostoli hierosolymis eleimosynam destinare curarent: istum prae omnibus, et inter omnes eligere statuerunt. Sic enim astruit evangelista. Discipuli autem pro ut quisque habebat in ministerio proposuerunt mittere habitantibus in Judaea fratribus: quod et fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabae et Sauli. Interim quantum talis obedientiae talisque eleimosynarum virtus Domino Deo placuerit, quantamque vicissitudinem ex inde postquam reversi sunt in Antiochiam perceperunt: sequens lectio demonstrat. Barnabas autem et Saulus reversi sunt Hierosolymis expleto ministerio. Erant autem in Ecclesia quae erat Antiochiae prophetae et doctores, in quibus Barnabas et Saulus. Ministrantibus illis Domino et jejunantibus dixit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus, quo assumpsi eos. Ecce beate Barnaba apostole Domini nostri Jesu Chrysti quanta tibi divina gratia tribuit dona pro digno munere, quod dignus recte patrasti: scilicet ut Spiritus almificus te devote vocaret, mitteretque ad populum coelestia dicta ferentem. Sequitur beati Evangelistae ad clarificanda ejus miracula divina lectio. Et ipsi quidem dimissi a Spiritu Sancto venerunt Seleutiam et inde navigaverunt Cyprum. Repletus namque Spiritu Sancto beatissimus Barnabas quid decebat ut ageret cum dilecto collega nisi illud quod nemo mortalium sine gratia Spiritus Sancti patrare valet, sicut in presentiarum manifestissime declaratur. Nonne postquam illum Barieu qui Helimas dicebatur 2 lumine privarunt, et Sergium Paulum proconsulem a quo beatus Apostolus de Saulo Paulus vocatus est, ad fidem catholicam converterunt, plurimam multitudinem ad lucem veritatis perduxerunt? Sic utique sacra Scriptura denuntiat: secuta est, inquit, multitudo Judaeorum et colentium advenarum Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis permanere in gratia Dei: et sequenti sabato pene universa civitas commota est audire verbum Dei. Audientes autem gavisi sunt, et glorificabant Dominum, et crediderunt quotquot erant preordinati

1. Est versus:

Dante Deo vires, dare quem non poenitet unquam.

Is autem erat mos Bedae ut explanationes suas ornaret versibus Paulini nolani, tum Aratoris mediolanensis qui s. Ennodio et s. Datio coaevus fuit, tum Sedulii; aliorumque. Sic infra:

Mitteret ad populos coelestia dicta ferentem.

2 *Barjeu.* In Vulgata Actuum Apostol. c. XIII. dicitur *Magus, cui nomen Barjesu.* Ast Beda in c. XIII. Act. Apostolor.: *Corrupte legitur* Barjesu, *cum* Barjeu, *id est maleficus legi debeat.* Etiam Odericus Vitalis, Monachus anglus saeculi XI., in *Hist. Eccl.* dicit: *Barjeu maleficus Judaeus quem Paulus* etc.

ad vitam aeternam. O ammirabile stupendumque mysterium divinae dispensationis. O praedicandum et glorificandum Sacramentum Domini Salvatoris, qui sibi recte famulantibus tantam gratiam conferre dignatus est: ut resistentes lumine privarent, et humiliter famulantes ad claritatem perpetuae beatitudinis perducerent. Sed quia superbi unde respicere debent, inde inflammatur ad iram, sedicionem facientes ejecerunt Apostolos de finibus suis. Illi autem gaudentes repleti Spiritu Sancto, et praedicantes converterunt ad Dominum Judaeorum et Graecorum copiosam multitudinem.

5. Interea quia unus inerat eis spiritus et una fides sicut in caeteris Apostolis: ne minores viderentur esse in miraculis, qui aequales erant in amore sanctae religionis: congruum fuit, ut sicuti beatus Petrus et Joannes claudum ex utero matris curaverunt: beatus Paulus et Barnabas similiter agerent 1, et dispensante Deo ita peractum est: venientesque Listris, claudum ex utero matris mirabiliter curarunt, adeo ut tale miraculum turbae conspicientes Deos illos existimarent dicentes: Dii facti similes hominibus descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Jovem Paulum vero Mercurium, quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Jovis tauros et coronas deferens volebat sacrificare. Quare itaque hoc? Quare Barnabam Jovem: Paulum vero vocabant Mercurium? Quare tauros, quare coronas sacerdos ferebat? Propter hoc namque Barnabam Jovem vocabant, quia secundum ethnicam fatuitatem defensorem suum illum esse credebant. Paulum vero Mercurium: quia ipsum credebant eloquium linguae praestare mortalibus, unde Mercurium hoc est *medium currentem* inter aures linguasque dicebant. Tauros vero ad victimam, coronas autem ut quasi diis sacerdos Jovis illis imponeret 2. Sancti itaque Apostoli reminiscentes precepti Domini dicentis: qui se humiliat exaltabitur; tale facinus prorsus abominantes et respuentes scissis tunicis clamabant: viri quid hoc facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines annunciantes, ut convertamini ad Deum vivum, qui fecit coelum et terram.

6. Exinde in Derben venientes evangelizabant, et docebant multos. Vere digne, vere juste gratia Chrysti preeunte et dispensante, multos docebant, ut qui se in mundanis rebus humiles fecerant, in divinis sublimes existerent, ut plurimos docerent, tenebrisque retentos ad lucem veritatis reducerent. Plurimas itaque provincias peragrantes, verbum Domini annunciando tandem pervenerunt Hierosolymam. Qui suscepti a sanctis Apostolis annunciabant gaudentes, quanta Deus cum eis mirabiliter fecisset. Bene autem non utique tristes sed gaudendo annunciabant quia promissum habebant: Gaudete itaque et exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in coelo. Veruntamen quia in Achaia 3 quaestio exorta erat ab improbis: consilio inito sancti Apostoli quos destinare curaverunt ad tale facinus extirpandum? nisi hunc beatissimum atque fidelem dominum Barnabam filium scilicet consolationis cum collega fido b. Paulo, quo consolando atque praedicando elisos erigeret, ac perditos revocaret: quod donante Deo ita patratum est. Praeterea quantam dilectionem erga hunc beatissimum Barnabam sancti Aposloli habebant, quantamque benignitatem sanctus evangelista denunciat. Placuit, inquiens, nobis collectis in unum eligere virum, et mittere eum ad vos cum carissimis nostris Barnaba et Paulo, qui tradiderunt animas suas pro nomine Chrysti. Vere dignum et justum atque salutare decretum, quia destinare curaverunt, quos gratia Sancti Spiritus jampridem elegerat. Namque Antiochiam cum apostolica epistola properantes impiam haeresim destruxerunt. Eruntque docentes et evangelizantes verbum Domini nostri Jesu Chrysti. Porro quia omnem sollicitudinem erga sanctam Ecclesiam habebant: ne in aliquam haeresim inciderent, placuit ut revertentes visitarent ecclesias, quibus praedicaverant verbum Dei. Sciebant enim callidam esse

1 Beda in Act. Apostol. c. XIV. *Sicut claudus ille quem Petrus et Joannes ad portam templi curant, salutem praefigurat Judaeorum: ita et hic Lycaonius aeger populum gentium,* scilc. Graecorum.

2 Beda in Act. Apost. c XIV. *Barnabam Jovem, ob hoc videlicet quia prior eorum esse videretur: Jovem nempe divûm patrem atque hominum regem esse putarunt. Paulum vero Mercurium, quia Mercurium credebant eloquium linguamque praestare mortalibus: unde et Mercurium quasi* mediocurrentem, *id est inter aures linguasque, latini nuncupabant. Tauros ad victimas, coronas vero ut eis quasi diis, immolaturus imponeret.* Nota, Arnobium L. 3. adv. Gentes, et Augustinus De Civit. Dei VII. 14. edere eamdem etymologiam Mercurii, scilc. *mediocurrentis*, sed diverso sensu: nempe *sermonis* qui *currit* medius inter homines.

3 Legendum *Antiochia*.

astutiam Sathanae, ideoque providebant: ne corda revocata sanctorum pestifero genere zizaniorum fedaret.

7. Postmodum vero ait Evangelista: Visum est eis 1 ut beatus Paulus reverteretur Hierosolymis, Barnabas autem repeteret Cyprum insulam, de qua assumptus erat, assumpto predicto Joanne cognomento Marco. Bene utique providentes bene intelligentes, ut unus pergeret ad visitandum fundamentum sanctae Ecclesiae et religionis: alter vero ad praedicandum et liberandum ethnicos a nece perditionis. Ergo non omnis sequestratio mala sed illa prorsus quae irrationabiliter agitur nullo justo judicio flagitante 2: divisi namque admodum connexi erant. Quare itaque hoc? Quoniam illos cathenâ caritatis adnexos habebat ille, qui eis docuerat, in hoc cognoscent omnes quia vere mei discipuli eritis, si dilectionem meam in vobis habueritis.

8. De sessione autem hujus sanctissimi Apostoli Barnabae nemo in scrupulum dubitationis incidat, ut non sedeat cum Domino sicut caeteri Apostoli ad judicandum, pro eo quod non est de duodenario illorum numero: quando quidem sicut sancti docuere patres, per duodenarium numerum universitas designatur. Ergo procul dubio sedebit, et cum sanctis martyribus et cum apostolis gloriosum officium exibebit. Quia quomodo non defuit de catalogo praedicationis ita non deerit a gloria sessionis. Igitur quia exortus de sessione illius sermo rationabiliter disertus 3 est: opere precium videtur et utile, ut liquidius intelligamus, quot sint partes eorum, qui judicant et qui judicantur. Ergo sanctorum Patrum documenta sequentes veraciter teneamus, quia duae sunt differentiae vel ordines hominum in judicio, hoc est ellectorum et reproborum. Quae tamen duae partes dividuntur in quatuor. Perfectorum enim ordo est unus, qui cum Domino judicat, et alius qui judicatur, utrique cum Domino regnabunt. Similiter ordo reproborum duas habet partes, eorum scilicet qui intra sanctam Ecclesiam sunt mali, judicandi et dampnandi sunt. Qui vero extra Ecclesiam inveniendi sunt, non sunt judicandi, sed tantum damnandi. Nos ergo interim fratres carissimi haec considerantes hujus sancti et gloriosi apostoli et martyris Barnabae vitam et devotionem ammirantes ejusque vestigia sequentes in hac illius festivitate, spirituali jocunditate laetemur: quatenus illo interveniente a peccatorum vinculis exuti in judicio Domini inter justos inveniamur, et cum eis vitam aeternam percipere mereamur.

9. Huc usque beati Barnabae gloriosum agonem, et veneranda magnalia declarantes, ex autentica auctoritate Lucae Evangelistae ut predictum est breviter deflorare curavimus. Sed quia idem sequendo beatum Paulum apostolum sancti Barnabae apostoli finem cernere non potuit, caetera quae sequuntur, in aliis ejus Actibus autenticis reperiuntur 4, de quibus aliqua breviter hic inserenda duximus. In diebus apostolatus sui beatus Barnabas apostolus comitantibus secum fratribus Romam venit: cum nondum Petrus et Paulus ibi fuissent 5, et ibidem primus Chrysti Evangelium per dies aliquot praedicavit: cumque ipso illic existente de plaerisque locis et civitatibus mentio haberetur: audivit inter alias nominari imperialem et celebratam civitatem Mediolani. Atque illuc proficiscens festinare disposuit, assumpto secum sancto Dei viro Anathalone comite fidelissimo cum aliis quibusdam aeque sociis in ministerium Evangelii. Cum igitur MEDIOLANI beatus Barnabas Chrysti Evangelium praedicaret, et insistens praedicationi operam daret, cohoperante Domino magnam illorum civium multitudinem in brevi convertit, ed ad fidem veritatis adduxit.

10. Quo autem ordine ad martyrii coronam pervenerit, ex graeco eloquio praedicti Johannis exadelphi ejus transferentes sensum magis quam verba sequentes 6 fideliter declaremus. Johannes

1 *Eis* scilicet Paulo et Barnabae. Qui sequitur locus *reverteretur Hierosolymis* videtur esse corruptus. Vide Acta Apost. c. XV. in fine. Fortasse, *Hierosolymas, ad loca sancta visitanda:* uti mox dicet ex Joanne Marco n. 11.

2 Beda in Act. Apostol. c. XV. *Noli hoc delictum putare. Non enim commoveri malum est sed irrationabiliter, nulloque justo flagitante negotio commoveri.*

3 Scilc. desertus, interruptus.

4 Vide Disertat. III. pag. XLIII. n. VI.

5 Beda in Act. Apostol. c. XIII. tradit, Petrum venisse Romam anno IV. Claudii Imp., non tamen docet, nullum alium discipulum ante Petrum venisse Romam.

6 Equidem plura in hac Versione addita sunt: quae additiones etiam in exemplaribus ubique disseminatis conservatae sunt: quod argumento est, Versionem prodiisse a viro auctoritate multa in Ecclesia praedito. Has additiones notat Mazzochius suis in notis ad hanc versionem: *Kalendar Neapolit.* die X. Junii.

igitur qui et Marcus famulus Domini nostri Jesu Christi, discipulus vero sanctorum Apostolorum Pauli et Barnabae mystica Dei opera quae divinitus vidi et diligenter cognovi gradiendo scilicet cum praedictis Apostolis sanctis Dei famulis in ministerio eorumdem omnibus fidelibus in Chrysti Ecclesia commorantibus per gratiam Domini fideliter pando. Denique cum essem ethnicus et famulator ydolorum: commorando scilicet in ministerio Cyrilli quondam pontificis nefandissimi templi Jovis, annuente Domini nostri Jesu Chrysti gratia, baptizatus sum per beatum Paulum et Barnabam, qui digni fuerant vocatione Dei, in loco, qui dicitur Yconium. Posteaquam vero sacrum baptismum suscepi, vidi in visione virum splendidum atque mirabilem, amictum stola candida, qui dixit mihi: Constans esto Johannes, et crede fiducialiter quoniam quidem non Joannes sed Marcus idest *excelsus* vocaberis 1, et gloriam excellentiae tuae ubique praedicari, et glorificari oportet, pro eo scilicet, quia tenebrae quae hactenus fuerunt in te, penitus effugatae sunt. Et data est tibi gratia et intellectus, ut cognoscas mysteria Dei omnipotentis. Commendo itaque beato Barnabae hanc revelationem. Obstupui fateor, et seriatim illi omnia quae a praedicto viro agnovi professus sum. Interea beatus Paulus non ibi erat, quando haec secreta pandere studebam beato Barnabae. Postquam vero idem beatus Barnabas diligenter animadvertit nostram revelationem commonuit me dicens: Praecave diligenter, et pone custodiam ori tuo, ne alicui virtutem mysterii quam vidisti asseras. Nam et mihi similiter hac nocte apparuit Dominus Jesus Christus dicens: Constans esto Barnaba credendo verissime, quoniam pro sancta devotione qua reliquisti generationem tuam et tradidisti animam tuam pro nomine meo, in ea perseverando premia aeterna percipies. Attamen convoca Joannem ministrum tuum quandoquidem ipse similiter vidit quedam mysteria. Interim conserva omnia quae audisti et vidisti: quia veniet tempus quando manifeste appareas. In hac communione commorati sumus in praedicto Yconio per dies aliquot, in quo erat quidam homo justus et timoratus, qui nos recepit, et hospitalitatem exibuit digne, cujus domum beatus Paulus placide benedixit. Inde autem navigantes venimus Cyprum, eramque in ministerio eorum donec egrederemur ex Cypro: venimus Pergen Pamphiliae. Illis autem euntibus ad praedicandum, commoratus sum ibi mensibus duobus. Cumque disponerem ire in partes Occidentis, prohibuit me Spiritus Sanctus. Igitur cum audissem quod iidem sancti Apostoli Paulus et Barnabas Antiochiae essent, continuo perrexi ad illos. Invenique beatum Paulum fatigatum ex itinere, et in grabato quiescentem: qui cum me cerneret, gavisus est, sed arguere coepit me pro eo quod moram fecissem venire de Pamphylia, et detinuissem librum Praedicationis. Recreati autem ex itinere coeperunt praedicare verbum Domini. Ad quorum praedicationem plurimi Judaeorum atque Gentilium illuminati crediderunt in Dominum Jesum Christum.

11. Expleta itaque praedicatione statuerunt ire ad praedicandum in Orientem, et tamen demum reverterc ad Cyprum, ut visitarent ecclesias, in quibus verbum Domini praedicaverant. Sed beatus Barnabas rogabat, ut prius iret in Cyprum ad visitandos parentes suos, et postea communiter Hyerusalem pergerent. Inter haec autem angelica visio facta est per noctem beato Paulo dicens: Celerius propera Hyerusalem, nec moram facias, quandoquidem fratres valde praestolantur adventum tuum. Quod cum beato Barnabae panderet, ait: Quia voluntati Dei contradicere non expedit: fiat voluntas Domini. Tantum obsecro, intercede pro me ad Deum, ut decertatio mea fiat acceptabilis in conspectu ejus secundum devotionem, quia famulati sumus in ministerio, quod nobis datum est. Nunc autem propero Cyprum, ibique finem complebo vitae, faciem tuam, heu proh dolor! corporaliter non visurus. Haec praeloquens procidit ad pedes ejus et flaevit diu amare. Cujus dolori beatus Paulus compatiens, noli inquit merere frater, non enim hoc sine ministerio divino agitur. Namque apparuit mihi in hac nocte Dominus dicens: Ne prohibeas Barnabam ire in Cyprum, quoniam illic praeparata est ei gratia Dei, ad illuminationem multorum et sacrum martirium percipiendum. Tu autem perge Hyerusalem ad loca sacra 2 visitanda.

12. Tunc positis genibus orantes, et oscu-

1 Vox *excelsus* addita est in Versione. Beda in Interpretatione Hebraeorum Nominum: *Marcus, amarus... sublimis.*

2 *Perge Hierusalem ad loca sacra visitanda.* Haec verba addita sunt a translatore nostro: quae additio indicat apprime mores temporis Bedae.

lantes nos invicem vale fecimus, et navigantes descendimus Laodiciam decertantes, ut veniremus Cyprum. Deinde venimus in civitatem, quae vocatur Anemoria, in qua invenimus quosdam viros quamquam ethnicos tamen sagacitate pollentes, qui nos certantes sagaciterque interrogantes coeperunt dicere: O viri, qui estis? Unde? Quo? vel quae res attulit vos in nostris horis? Animadvertens autem beatus Barnabas illorum sagacitatem: sagaciter eis respondere studuit. Si nosse inquit cupitis, qui nos sumus, unde et quo, vel quam ob rem venimus: scitote, quia famuli sumus Domini nostri Jesu Chrysti Creatoris coeli et terrae. Venientes autem ab Hierosolymis pergimus utique ad praedicandum nomen ejus, quia ipse est Filius Dei omnipotentis: qui crediderit in illum non morietur, sed vitam percipiet sempiternam. Verumtamen si cognoscere cupitis, exuite vos vestimentis, quae veterascunt et pereunt, et induite vos stola immortalitatis, quae non perit, sed gloriosa et splendida permanet in aeternum. Haec audientes attoniti valde compuncti sunt corde annunciantes, et dicentes: Mira res quam dicitis. Quis enim Deus praepotens talia praebere valet? Ad haec beatus Apostolus: Si enim vultis nosse, quae dicimus: confitemini peccata vestra credentes in Dominum Jesum Chrystum et percipientes sacrum baptismum, et procul dubio accipietis quae vobis promittuntur. Cumque illi respondissent cuncta se velle patrare: breviter sanctae Trinitatis mysterium exponendo descendit cum illis in fontem, et baptizavit eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: induitque vestibus sanctae reiligionis. Cum autem se cognovissent esse chrysticolas, et virtutem se accepisse Spiritus Sancti, coeperunt gaudere, et glorificare Dominum Chrystum. Conferentes autem quaedam subsidia, convocatis pauperibus distribuit Apostolus illis, prout cuique opus erat, instruens et commonens, ut permanerent in gratia Dei, quam acceperant.

13. Navigantes autem pervenimus Cyprum, ibique invenimus Thimonem et Aristonem famulos Domini. Thimon autem urebatur magnis febribus. Cui cum manus imposuisset beatus Barnabas, et sacrum evangelium per invocationem Salvatoris Domini, statim febris curata est et adeo corroboratus est, ut continuo nos cum gaudio sequeretur. Ex doctrina namque sanctorum Apostolorum, beatus Barnabas Evangelium sancti Matthaei apostoli secum ferebat, et ubicumque inveniebat infirmos, ponebat illud super illos et continuo sanabantur. Exeuntes autem inde invenimus hominem nomine Eradium, quem beatus Paulus apostolus cum sancto Barnaba baptizaverat, et recepto Spiritu Sancto episcopum ordinaverat ad communionem [1] fidelium. Hic nos cum gaudio excipiens hospitalitatem praecipuam exibuit. Post haec autem invenimus quemdam virum nomine Rodonem quamvis ethnicum tamen justum atque beniguum. Huic cum beatissimus Apostolus sanctam fidem exponeret, continuo credidit in Deum, et baptizatus secutus est nos.

14. His ita gestis obvium habuimus impium et maleficum nomine Barieu, quem olim beatus Paulus lumine [2] privaverat. Hic namque cum cognovisset beatum Apostolum malicia commotus prohibuit nos introire in Paphum. Proinde revertentes invenimus locum, in quo ethnici viri et foemine ludendo nudi currebant. Haec cum vidisset beatus Barnabas indignatus est super tale facinus, maledixit continuo templum, statimque pars orientis funditus corruit, magnaque contritio ex ethnicis facta est, qui sub ruina ipsa mortui sunt. Caeteri autem qui evaserunt, fugerunt in templum Apollinis. Nemo itaque miretur quod praedictus Barieu postquam a beato Paulo apostolo lumine privatus fuerat, visum receperit, cum non illum perpetualiter, sed ut converteretur, ad tempus percusserit, dicens: Erisque caecus usque ad tempus. Ergo liquidius constat, ut ad preces Sergii proconsulis per beatum Paulum apostolum conversus lumen receperit, postmodum vero sicut Simon magus, apostatando transgressor fieret. Introeuntibus itaque nobis in Salaminam, invenimus synagogam Judaeorum in qua beatus Apostolus exorare coepit, ut per Evangelium sancti Mathei apostoli Christi gratiam introduceret. Haec dum praefatus comperisset Barieu, et quia plurimi Judaeorum recepissent praedicationem sancti Apostoli, omnem maliciam iniquitatis suae ostendit, et seditione facta contra sanctum Apostolum comprehenderunt eum, et quaerebant tradere consuli ejusdem Salamine civitatis, affligentes eum multis supplitiis et variis cruciatibus.

15. De hinc cum jam maceratum et diversis quassatum poenis ducerent ad judicandum, accidit, ut veniret in eandem Cyprum vir quidam magnus et potens nomine Eusebius scilicet de progenie Neronis imperatoris. Comperientes autem

1 MSSta Mazzocchii: *ad commonitionem.*

2 De Barjeu malefico v. retro pag. 103. notam 2.

Judaei adventum ejus verentes nimium, ne illum eriperet de manibus illorum, ligantes funem in collo ejus nocturno tempore dilaceratum a synagoga in hipodromum pertraxerunt, et inde foris portam. Post haec autem circumdantes illum igne crudeliter cremaverunt. Sicque beatus Apostolus post multos agones et diuturna certamina pro Chrysti amore adustus migravit ad gaudia sempiterna. Impii autem Judaei non satiati de nece illius zelo odii concitati tulerunt sacratissimum corpus ejus, et in locello plumbeo concludentes in mare praecipitare disponebant. Interim ego praefatus Joannes qui et Marcus una cum praedictis Thymone et Rodone occulte nocturnis horis tulimus illud, et collocavimus in criptam, quae olim fuerat habitatio Jebusaeorum tertio idus Junii: hoc est undecimo die ipsius mensis.

16. Propter hanc itaque collocationem plurimis annorum curriculis venerabile corpus ejus latuit, nec inveniri a chrysticolis valuit. Sed Deus omnipotens non patitur occultari gloriam sanctorum suorum. Tempore igitur Zenonis imperatoris et sancti Gelasii 1, eodem sancto apostolo revelante inventum est, atque hymnis et laudibus mirifice collocatum. Ad honorem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum.

COLLATIO QUORUMDAM LOCORUM

HISTORIAE DATIANAE CUM LOCIS BEDAE *EXPOSITIONIS* IN ACTA APOSTOL.

Ex qua collatione deducitur, Bedam habuisse prae oculis Auctorem nostrum, eumque saepe secutum esse 2, quandoque correxisse.

Ex Capite II. Datianae Historiae.

I.

« Barnabas venditi agri pretium Apostolicis substravit vestigiis; qui quoniam praesentia flocci pendit, spe aeternorum indubitanter consolari non abnuit. »

II.

« Barnabas cum Mathia, ut multis videtur, ad substituendum duodenarium numerum Apostolorum eligitur. »

Ex Bedae Libro citato.

I.

Expositio in Acta Apostolor. c. IV. « Merito filius consolationis vocatur qui praesentia contemnens, spe futurorum consolatur. »

II.

Beda corrigit hanc opinionem cap. IV. Act. Apostol. « Quidam arbitrantur Pauli collegam Barnabam eum fuisse qui cum Mathia ad apostolatus est sortem statutus: minus intuentes quod juxta emendatiora exemplaria hic Barnabas, ille mutata litera Barsabas appellatur . . . hic *filius consolationis*, ille autem *filius quietis* interpretatur. »

1 *Gelasii:* ita habet et Odericus Vitalis et MSS. Olivet. et Teat. et Carbonar. apud Mazzocchium: rectius tamen dixerit *s. Felicis* Papae; qui sub Zenone diu vixit: at Gelasius pontificatum iniit post Zenonis mortem, anno 492.

2 Ipse Beda in Epistola ad Accam Episcopum quae est loco Prologi in Exposit. Actuum Apostolor. ait: *in quo me Opusculo, cum alii plurimi fidei catholicae scriptores, tum maxime juvit ARATOR subdiaconus*... Hic vero mediolanensis erat et coaetaneus Datiano scriptori. Quid mirum quod Beda usus sit etiam Datiana Historia scripta auctoritate illustrissimi Episcopi s. Datii, de tam celebri Ecclesia mediolanensi?

III.

« Apostoli, decimoquarto post Domini passionem anno per manuum impositionem Paulum et Barnabam ad Apostolatus fastigium extulerunt et ad gentium magisterium destinarunt. »

III.

Beda in c. XIII. Act. Apostol. corrigit, dicens: « Videtur Saulus juxta ordinem historiae tertiodecimo post Domini passionem anno apostolatum cum Barnaba accepisse: quartodecimo anno, ad gentium magisterium profectum est. »

IV.

« Barnabam Jovem nuncupantes eo quod prior videretur esse ac senior, quasi divum patrem regemque hominnm: Paulo autem Mercurii nomen adscribentes quia ipse dux verbi erat, quem eloquii ac sapientiae latorem putaverunt. »

IV.

Beda in c. XIV. Act. Apostol.: « Barnabam Jovem, ob hoc videlicet quia prior eorum esse videretur; Jovem nempe divûm patrem atque hominum regem esse putarunt: Paulum vero Mercurium, quia Mercurium credebant eloquium linguamque praestare mortalibus. »

V.

« Causa hujus inter Paulum et Barnabam divisionis Joannes qui cognominatus est Marcus, fuisse perhibetur: quem Paulus, quia in initio praedicationis tepidum vidit, in ministerium recipere noluit, scilicet ne illius teneritudine vires frangerentur audientium. »

V.

Beda in c. XV. Act. Apostol. « Quoniam Joannes Marcus in ipsa se aciei fronte constituens, nimis tepide steterat, merito eum Paulus abjecit, ne illius quasi contagione vires corrumperentur aliorum. »

VI.

« Est autem Cyprus insula Pamphiliae provinciae, in mari asiatico sita, habens XV. pulcherrima oppida muris serrisque munitissima; quorum metropolis Paphus, insignis plurimum, famosaque divitiis metalli maxime aenei, cujus prima inibi utilitas atque inventio fuisse dicitur. Vide notam 1. pag. 11.

VI.

Beda De Nominib. Locorum in Act. Apostolor. « Cyprus insula in mari Pamphylio quindecim QUONDAM oppidis insignis, famosaque divitiis et maxime aeris. Ibi enim prima hujus metalli inventio et utilitas fuit. — Paphus . . . frequenti terrae motu lapsa NUNC ruinarum tantum vestigiis quod olim fuerit ostendit. » Vide Dissertationem I. pag. XVII. col. 1.



NOTAE

VEL FUSIUS EXPLICATAE VEL ADDITAE

1.

Ad pag. xx. *col.* 1. De S. Barnabae martyrio memoria non erat quidem apud Cyprios extincta, sed quasi sub cinere latens. Revelatio jam dicta et memoriam de martyrio excitavit, et celebritatem Barnabae nomini fecit.

2.

Ad pag. 5. *nota* 1. Sermo erat de Extensione Metropolis Medialanensis ejusque jurisdictione. Hac de re ampla scripserunt *Carolus Basilicae Petri* Episcopus Novariensis *De Metropoli Mediolanensi*, tum vero *Eustachius a s. Ubaldo* Augustinianus *De Metropol. Mediolanensi;* recenter vero Joannes Villa Oblatus et Doctor Bibl. Ambros. *Fasti della Metropoli e del Metropolita di Milano*, 1830. Ex horum disquisitionibus, constat Metropoli Mediolanensi subditas fuisse saeculo IV. Ecclesias Liguriae, Æmiliae, Flaminiae et Venetiarum: tum vero alias quidem subtractas, alias vero additas, ita tamen ut ejus quondam suffraganei fuerint episcopi Sirmii, Aquileae, Veronae, Ravennae, Bononiae, Imolae sive Fori-Cornelii, Mutinae, Parmae, Lunae, Januae, Taurini, Albingauni, Vercellarum, Curiae, Augustae Vindelicorum, Tridenti, caeterarumque civitatum quae inter has continentur.

3.

Ad pag. 20. *nota* 2. De Fontis benedictione et consecratione loquuntur etiam Constitutiones Apostolicae L. VII. c. 4. et Opus de Hierarchia Eccles. quod tribuitur Dionysio Areopagitae, et s. Cyprianus Epist. ad Januar. Patet igitur, jam a tempore persecutionum in usu fuisse hunc ritum. S. Ambrosius L. de Mysteriis c. 3. v. 14. *Aqua cum salutaris crucis fuerit mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri et salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem (Marrha) Moyses, hoc est propheta misit lignum; ita et in hunc fontem sacerdos praedicationem Dominicae crucis mittit et aqua fit dulcis ad gratiam.* Mediolani vero IV. saeculo praeter Fontem, qui hîc illustratus est, erat alius media in urbe, appellatus *s. Joannis ad Fontes*, situs ubi nunc chorus Ecclesiae Regiae s. Gothardi. Fontes enim baptismales erant prope Ecclesias Majores, intra Basilicam quae dicebatur *Basilica Baptisterii*, quaeque plerumque ad formam latae turris exagonae vel octagonae constructae erant, pro similitudine sepulchri ex quo Christus resurrexit ad vitam.

4.

Ad pag. 24. *nota* 2. ubi s. Valeria Mediolanum veniens in via ab cultoribus Sylvani vulnerata narratur, addi poterat, eam juxta traditionem percussam referri in via Romana prope urbem. Quam ad rem haec ex Andr. Alciato *Antiq. Inscriptiones Patriae*, pag. 143. referre juvat. « Ad quartum ab urbe lapidem pagus qui a divi Donati delubro, nomen sumpsit, siliceum hunc habet stylobaten M. Magii Hermae Silvano Deo dictum donum

M . MAG .
HERMA
SILVANO
V . S . L . M.

Quo, arbitror ipse, in loco redeuntem ab urbe Ravenna Valeriam post Vitalis mariti martyrium a villicis sylvano deo sacra facientibus mulctatam verberibus fuisse, quod idolothyta manducare detrectasset. »

5.

Ad pag. 29. *in fine notae* 4. De antiquis Mediol. Coemeteriis consulenda est Disert. V. *Sopra gli antichi Cimiteri di Milano, ed in ispecie su quello chiamato Polliandro*, scripta a Patrib. Cisterc. *Antichità Longob.* Mediol., 1792. Primum erat Coemeterium Portae Ticin. in quo erecta fuit Ecclesia s. Eustorgii; de eodem sermo est apud Galv. Flammam in *Manipulo Flor.* c. 37. Secundum, Portae Romanae, de quo bis mentionem injecit Historia haec Datiana. Hoc autem Julinus Comes arbitratur late extensum fuisse a s. Nazario usque ad s. Joannem in Concha: qui locus ante Maximianum Herculeum extra urbis moenia relictus, Coemeterium Peregrinorum appellabatur: a Maximiano vero novis moenibus pars ejus superior, ubi sepultus erat s. Castricianus, intra urbis ambitum clausa est. Tertium, Portae Vercellensis et secus viam Vercellas versus, illustrius omnium fuit: dictumque fuit *Polliandron Philippi*, vel *Coemeterium Caii* ut

am satis suis locis declaratum est. Quo quidem Coemeterio ea tota, ut plerisque videtur, area comprehensa erat qua conditae Basilicae s. Naboris, s. Victoris *in coelo aureo*, s. Vitalis, s. Valeriae, s. Ambrosii. Naboriana destructa, Reliquiae illius translatae sunt et anno 1799. repositae in sacello s. Savinae in Basilica Ambrosiana: ubi hae appositae sunt Epigraphae:

Super altare

HEIC CONDITAE SVNT RELIQVIAE SANCTORVM INFRA MENSAM
BARNABAE NABORIS ET FELICIS ET VALERIAE
SVPRA FELICIS ET FORTVNATI CAI ET MATERNI ET SAVINAE.

In pariete ad sinistrum latus sacelli

OSSA . ET . CINERES . S. VALERIAE . M . ET . MAGNAE
MATRIS . MM . GERVASI . PROTASI . ITEM . AVRELI
DIOGENIS . QVI . DVO . EADEM . QVA . MATER . CONDITI
ARCA . LAPIDEA . EODEMQVE . IN . TEMPLO . SITI . CVI
NOMEN . AB . IPSA . VALERIA . ET . QVAMDIV . ILLVD
STETIT . SVMMA . RELIGIONE . PER . SAECVLA
FREQVENTATI . DEINDE . CVM . VI. . KAL. . AVG. . A.
M. DCC. LXXXV. . IN . SACRARIVM . HVJVS . BASILICAE
ASPORTATA . FVERINT . ET . REPOSITA . DONEC . NOBILIOR
SEDES . INSTRVERETVR . ID . FELICITER . EX . VOTO
FACTVM . CONSOCIATO . LOCO . ET . CVLTV . CVM
RELIQVIS . SS. BARNABAE . A. NABORIS . ET . FELICIS
MM. . MATERNI . E . CAI . E . FELICIS . ET . FORTVNATI
MM. . SAVINAE . MATRONAE . ALIORVMQVE . IGNOTI
NOMINIS . A . NABORIANA . IN . IDEM . SACRARIVM
AMBROSIANVM . TRANSLATIS . XVIII . K . MAIAS
A . M . DCC . XCVIII . ET . SOLEMNI . RITV . INLATIS
XI . K . FEBR . A . M . DCC . XCIX . IN . HANC . EGREGIO
OPERE . EXORNATAM . QVAMQVE . JVRE . SVO . DIXERIS
CELLAM'. SANCTORVM.

Demum omnes fere Ecclesiae extra urbem positae coemeteriis christianis circumdatae sunt. Primus Episcopus intra urbem sepultus, fuit s. Joannes Bonus conditus in Eccl. *s. Michaelis subtus domum*, seu *presso il Duomo* anno 655.

6.

Ad pag. 37. *nota* 4. De via Vercellensi et de Porta Vercellina juvat producere citatam epigraphem Metilii Messoris mihi ab Octav. Castillione rarae eruditionis Comite benigne comunicatam.

METILIO
... F · OVF
*m*ESSORI
*c*OLLEGIVM
*iu*MENTARIOR..
PORTAE
*v*ERCELLINAE
*e*T IOVIAE
B · M
*l*OC DAT
AB
POSSESS
*vi*C. BARDOM*agi*

7.

Ad pag. 39. *n.* 5. De diis qui Mediolani olim colebantur adeas Opus Petri Gratiolii *De Praeclaris Ædificiis Mediolani ante Ænobarbi cladem;* tum Labus *Giornale dell'Istituto Lombardo di Scienze, Lettere ed Arti:* tum Joann. Ant. Castillioni *Antiqnit. Mediolanens.* Ego duo tantum hic innuo: extitisse fanum Jani Quadrifrontis et in ejus loco constructam Ecclesiam s. Joannis *ad Quatuor Facies,* quae valde antiqua est: tum fanum Minervae quod in Ecclesiam s. Theclae v. et m. mutatum traditur, quae quidem Ecclesia sita erat ante *Domum* seu Basilicam Majorem et Hyemalem, Mariae Virginis titulo gaudentem. Haec vero s. Mariae Basilica illa putanda est quam Ambrosius *Intramuranam Novam et Majorem* appellat. De s. Theclae Ecclesia ita Alciatus:

Culta Minerva fuit, nunc est ubi numine Thecla
Mutato, Matris Virginis ante Domum.

8.

Ad pag. 40., *n.* 3. notitiis de Basilica Portiana adde ex s. Augustini Confession. Libro IX.: quod cum s. Ambrosius una cum catholicis excubaret in illa, *ne populus maeroris taedio contabesceret, instituit ut hymni et psalmi secundum morem Orientalium partium canerentur: quod omnes Ecclesiae imitatae sunt.*

9.

Ad pag. 41. *n.* 2. Epistola 97. L. X. C. Plinii Secundi ad Trajanum Imp.

« Solemne mihi est, Domine, omnia de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de christianis interfui nunquam: ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat, aut quaeri. Nec mediocriter haesitavi sit ne aliquod descrimen aetatum, an quamlibet tèneri nihil a robustioribus differant, deturne poenitentiae venia, an ei qui omnino christianus fuit, desiisse non prosit; nomen ipsum etiam si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, an essent christiani; confitentes, iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amentiae; quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem emittendos. Mox in ipso tractatu (ut fieri solet), diffundente se crimine, plures species inciderunt. Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens: qui negant se esse Christianos, aut fuisse; cum, praesente me, deos appellarent, et imagini tuae, quam propter hoc jusseram cum simulacris Numinum afferri, thure ac vino supplicarent: praeterea maledicerent Christo; quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera christiani; ergo dimittendos putavi. Alii ab indice nominati, esse se christianos dixerunt, et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desiisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque; omnes et imaginem tuam et Deorum simulacra venerati sunt; ii et Christo maledixerunt.

Affirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem; seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent; quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursumque coeundi ad capiendum cibum promiscuum tamen et innoxium: quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quod secundum mandata tua, hetaerias esse vetueram. Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam. Ideoque dilata cognitione, ad consulendum te decucurri. Visa est mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum, et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est, quae videtur sisti et corrigi posse. Certe satis constat, prope jam desolata templa coepisse celebrari, et sacra solemnia diu intermissa repeti, passim venire victimas, quarum adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit poenitentiae locus. »

Trajanus vero respondit: « Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum qui christiani ad te delati fuerunt, secutus es. Neque enim in universum aliquid quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt. Ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando diis nostris, quamvis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret. Sine auctore vero, propositi libelli nullo crimine locum habere debent: nam et pessimi exempli, nec nostri saeculi est. »

10.

Ad pag. 59. *nota* 3. Etymologiam *parochiae* alii deducunt (quod mihi non probatur) a παρέχω, subministro. Hoc enim sensu apud graecos latinosque *parochus* significabat hominem cui cura erat praebendi ligna, foenum, salem, tectum iter facientibus rei publicae causa. Horatius L. 1. Sat. V.

Proxima . . . . villula tectum
Praebuit, et Parochi, quae debent, ligna salemque.

Siquis autem nosse cupit quaenam fuerint pri-

mae paroeciae in hac Mediolanensi Dioecesi institutae, sciat eas fuisse quae postea Praepositurales dictae sunt. Vetustiores vero Praepositurales Ecclesias nobis exhibet

Index Omnium Praepositurarum Dioecesis Mediolanensis apud Presbyt. Guiffredum de Bussero saeculo XIII. in calce Operis, ECCLESIAE ET ALTARIA DIOECESIS MEDIOLAN. *MSS. Biblioth. Metropolitanae.*

« Praepositus de vilmercato	Praepositus de galliano	Praepositus de settara
— de corbeta	— d'neruiano	— sci donati
— de masalia	Archipb'r modoetie	— de porleça
— de mano (*sic*)	Praepositus olçate	— de bereguio
— varisii	— de gallarate	— de caxorate
— de pontirolo	— de loventina	— de leuco
— de aplano	— de artiago	— de locate
— de castro sepio	— arciçate	— de ogiono
— de grogonçora	— de giçano	— de asxo
— bribie	— de parabiago	— de corneliano
— garlate	— de seviso	— de soma
— aliate	— de marliano	— de meçana
— travalie	— de segrate	— de dervi
— sci iuliani	— de treno	Abbatia sci vicentii in plebe mandello
— de dairago	— de bollate	Cremasca
— roxate	— de vasaxina	Varena
— angere	— bruciani	Praepositus de meçate
— de dexio	— de leçeduno	— de bellano. »
— brivij	— de decimo	

Istae autem Ecclesiae tunc praepositurales dici coeperunt quando clerus vitam comunem ducere coepit in una canonica domo sub uno Praeposito.

11.

Ad pag. 78. *col.* 2. in notis ad epigrapham primam s. Victoris legi IN P. *in pace:* idque rite; nam in musivo haec postrema litera praeter lineam rectam I., praesefert et vestigia deficientis lineae curvae ɔ: itaque vere est littera P., quae significat *Pace.*—In epigraphe autem tertia in fine versus tertii legi IN. At in musivo visuntur literae INı; quidni significent MEDIOLANI? Porro Andr. Alciatus *Inscript. Patriae* pag. 26. refert mediolanense epitaphium romanae aetatis de Osio patritio Imperatoris, in eoque versum:

Hunc IMI *populus nunc lugeat omnis:* legitque *Mediolani,* animadvertens: *sane notandus est ille compendiarius scribendi modus* IMI *id est Mediolani.*

12.

Ad pag. 93. De basilica s. Eustorgii adde quae sequuntur ex P. Allegrantia. Prope hanc basilicam in atriolo juxta sacrarium ille repperit lapidem cum hac epigraphe:

hic REQVI*escit in pace*
IV*li*ANA QVI *vixit in secu*
LO *an*NOS PL . M . . . D*ep*
OSI*ta* EST SVB *die* . . . .
SEP*tem*BRES SE*ver* . . . .
V . *clar* . *cos* . . . .

scilicet Coss. Severo id est anno 462. vel Severino id est anno 482. Idem testatur se in basilica juxta columnam structilem (*pilone*) reperisse arcam ex lapidibus non commissis sed tantum junctis, in qua duos sceletos et duas monetas aereas Constantii Imp. filii Constantini M. Saeculo itaque quinto basilica jam exstabat.

13.

Ad pag. 99. Loculus sive urna porphiritica multi pretii in qua conditum erat corpus s. Dionysii, est eadem illa urna quae in Metropolitana Ecclesia inservit lavacro baptismali. Fertur autem fuisse labbrum thermale sive *vasca da bagno* ex thermis Maximiani Herculei.

DESCRIPTIO URBIS MEDIOLANI

PRIMIS PRAECIPUE SAECULIS CHRISTIANIS



I.us Circuitus interior Moenia Gallorum.
II. Moenia Romanorum sive Maximiani Herculei.
III. Moenia a Ducibus Mediolanensibus extructa in margine Fossati nunc Naviglio.
IV. Moenia praesentia extructa ab Hispanis.

V. Porta Vercellensis sive Vercellina.
Tic. » Ticinensis sive Martia.
R. » Romana.
To. » Tonsa.
A. » Argentea sive Orientalis.
N. » Nova.
C. » Comensis sive Comacina.
Jov. » Jovia sive ad Castellum.

1. Basilica Philippi, sive Naboriana aut Concilia Sanctorum, vel S. Francisci.
2. Hortus Philippi, sive Coemeterium vel Poliandron Caj.
3. Ecclesia S. Valeriae.
4. S. Vitalis.
5. Basilica Ambrosiana.
6. Basilica Faustae sive S. Victoris in coelo aureo, vel S. Satyri extra muros.
7. Basilica Portiana, vel S. Victoris ad Corpus.
8. Ecclesia S. Victoris ad Ulmum.
9. Viridarium Imperatoris.
10. S. Maria Gratiarum.
11. Monasterium Majus.
12. S. Maria ad Portam Vercellinam.
13. Theatrum.
14. S. Victor ad Theatrum.
15. Circus et Hippodromus.
16. S. Maria ad Circum.
17. S. Georgius in Palatio.
18. Palatium Imperat.
19. S. Alexander in Zebedia olim Carcer Martyrum Thebaeorum.
20. S. Joannes in Concha.
21. S. Victor ad Portam Romanam olim Carcer S. Victoris.
22. Turris Romana ad Portam Romanam.
23. Basilica S. Laurentii cum columnis Romanis, olim Thermae Herculeae.
24. Ecclesia S. Caloceri.
25. S. Vincentius in Prato.
26. Vetra vel Vepra: hoc nomine fluvius Olona totus intrabat olim in urbem, et prope basilicam s. Laurentii, acceptis aquis Nironis et Sevesi, mutato nomine appellabatur Vitabia, Vectabilis.
27. Basilica S. Eustorgii.
28. Fons S. Barnabae.
29. Vitabia: vide supra n. 26.
30. S. Maria prope S. Celsum.
31. S. Celsus.
32. Basilica S. Calimeri.
33. Arcus Romanus, vel Triumphalis.
34. Basilica Apostolorum, vel S. Nazarii ad Corpus.
35. Hortus vel Brolus Archiepiscopi, olim Coemeterium Romanum.
36. Hospitale Majus.
37. S. Barnabas in capite brolii.
38. Baptisterium, postea Ecclesia S. Gothardi.
39. Palatium ducale.
40. Ecclesia S. Theclae sive Æstiva } Metropolitanae.
41. Ecclesia S. Mariae sive Hyemalis } Metropolitanae.
42. Ecclesia S. Sepulchri prope Monetam.
43. Ecclesia S. Joannis ad Quatuor Facies.
44. Ecclesia S. Joseph.
45. Ecclesia S. Babylae appellata et ipsa Concilia Sanctorum.
46. Ecclesia et Monasterium S. Dionysii.
47. S. Bartholomaeus.
48. S. Marcus.
49. Basilica S. Simpliciani.
50. S. Ambrosius ad Nemus.



Ichnographia antiqua urbis Mediolani.



INDEX
RERUM ET VERBORUM



D

E

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q


R

S

T

U

V



Antiquissimum Peristerium Basilicae s. Nazarii Mediol., sive Columba ex aere atque auro affabre facta, in qua sanctissima Eucharistia reposita servabatur.

ERRATA PRÆCIPUA	CORRIGE
Pag. VIII lin. 5. — *In Prooemio... Prooemium hocce*	*In Capite I... Caput hocce*
» XXIV. col. 1. — Libri antiquitatum	Libri antiquitatem
» 8. » 2. nota 1. — praeulisse	praetulisse
» 12. » 1. » 1. — plura sana	plura sane
» 21. » 2. » 4. — de nona	die nona
» 35. » 2. » 5. — VIR	VIVIR
» 40. » 2. » 2. — in Asia	in Asiam
» 49. » 2. » 5. — Castricianus	Calimerus
» 52. » 2. » 5. — Quae Ecclesia structam	Quam Ecclesiam structam


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 077113972

